



**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

III. Pars Meditationvm, A Paschate vsque ad octauam Corporis Christi, seu,
Dominicam secundam, post Trinitatem: De mysterijs Resurrectionis,
ascensionis, Mißionis Spiritus sancti, Ven. Sacramenti, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)



TERTIA PARS

MEDITATIO-
NUM.

A PASCHATE VSQVE AD
Octauam Corporis Christi, seu,
Dominicam secundam post
Trinitatem.

*De mysterijs Resurrectionis, Ascensionis,
Missionis Spiritus sancti, Venerab. Sa-
cramenti, Beneficijs, & non-
nullis attributis di-
uinis.*



Ec Tertia Pars Medi-
tationum continet ma-
terias Viæ vnitivæ con-
uenientiores, & tempo-
ri lætiori accommoda-
tiores. Cum enim Ec-
clesia hoc Paschali tempore cum læti-
tia recolat gloriosa vitæ Christi myste-
ria,

T

ria,

Coloss. 3.

Cant. 2.

ria, & æterna nobis prælibanda proponat gaudia, vt discamus sapere, quæ sursum sunt, non, quæ super terram; & anhelare ad cellam vinariam cœlestis Sponsi, generosissimo diuini amoris, & spiritualis lætitiæ vino redundantem: æquum est, vt, nos sanctæ matris Ecclesiæ menti conformantes, eas suscipiamus materias hoc temporis interuallo meditandas, quæ affectibus gaudij, gratiarum actionis, ac laudis, zeli gloriæ Dei, arctissimæ cum Deo coniunctionis, & similibus Viæ vnitiuæ proprijs concitandis sint conformiores, cuiusmodi sunt sequentes de gloriosis Christi resurgentis, & ascendentis, & Spiritus sancti missi mysterijs, de præcipuis beneficijs, & attributis diuinis; de cœlestis gloriæ præminentijs; de Venerabilis Sacramenti excellentijs.

Porrò ne quis existimet hoc toto tempore nonnisi affectus Viæ vnitiuæ congruentes esse eliciendos, sciendum est, posse etiam omnis generis affectus Viæ purgatiuæ, & illuminatiuæ proprios ex iisdem materijs satis conuenienter elici, delabendo scilicet ex affectu aut amoris, aut gratitudinis, aut zeli, similitæ aliquo ad affectus

fectus compunctionis, & emendationis; atque ad proposita practica, e. c. ex amore Dei & puritatis conscientiae Deo gratissimae cavendi has vel illas imperfectiones, mortificandi has vel illas cupiditates, passiones. Similiter ad affectus Viae illuminativae proprios, & proposita practica conandi proficere, e. c. in humilitate, obedientia, castitate, paupertate, patientia, & similibus, quas Deus maxime à nobis requirit in compensationem infinitae suae erga nos charitatis, benignitatis, liberalitatis.

Ac proinde unusquisque affectus sibi maxime convenientes ex consideratione praedictorum conetur erigere, eosque modo perfectissimo, videlicet ex motivo puri amoris Dei elicere: quod & maxime est meritum, atque ad solide proficiendum in omni perfectione efficacissimum.

(:.)

T 2

10

Hebdo- In Festo Resurrectionis Domini,
 madas & per Octauam.
 Paschæ.

I. De descensu Christi ad Limbum
 Patrum.

I. **C**Hristus Dominus simulac in
 Cruce exspirauit, secundum a-
 nimam hypostaticè verbo vnitam de-
 scendit ad Limbum Patrum, ad con-
 solandos, liberandos & beandos illos,
 à quibus tot iam sæculis expectaba-
 tur, & eò quidem tunc auidius, quò
 propius eius aduentus per Ioannem
 præcursorem prænunciatus appropin-
 quare credebatur.

Quanta illa dignatio Filij Dei, quã-
 ta humilitas Domini maiestatis, quan-
 ta charitas Saluatoris non dedignantis
 descendere in inferiores partes terræ,
 ad educendas inde animas seruorum
 suorum per seipsum, cum id vel solo
 nutu, vel Angelorum ministerio præ-
 stare posset, ad implendum illud Za-
 chariæ: *Tu quoque in sanguine testame-
 ti emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non
 est aqua. Ad satisfaciendum infinito*
 ano.

Zach. 9.

amori suo, quo eos prosequeretur; ad
prouocandum nos ad se redamandum,
a quo nos sic diligi tam euidenter cō-
probabatur.

Quanta quoque est eiusdem erga te
benignitas toties realiter in sacra cō-
munionem dignantis ingredi ad te tam
horridum corpore & spiritu sanandū,
illuminandum, fouendum! Si tantas
diuitias bonitatis suæ seruis suis exhi-
bet in via: quantas olim filijs exhibebit
in patria? Quam meritò ergò infinita
eius bonitas esset amanda, quam grato
& filiali animo recolenda, & quidem
omni possibili dilectionis & gratitu-
dinis affectu? His expensis, affectus
amoris & gratitudinis subiungendi,
cum propositis practicis, hos externos
affectus cum internis cōiungendi hac
vel illa ratione, occasione, e. e. conan-
do ex amore hos consuetos defectus
cauere, hanc vel illam actionem ordi-
nariam piè exacteque obire.

II. Descendit porro cum magna glo-
ria; stipatus ingenti comitatu Angelo-
rum præeuntium, & infernalibus po-
testatibus portas reserare imperantiū:

Auollite portas principes vestras. Et intro- Psal. 23.
ibit Rex gloria. Ipsoq, ingressu suo con- Psal. 106.
triuuit portas aereas, & vectes ferreos confre-

T 3.

git:

git : Statimq; splendore gloriæ & maiestatis suæ loci illius tenebras mirabiliter dispulit, animasque iustorum in vmbra mortis sedentes mirabilius illustravit, claram ijs Diuinitatis suæ visionem cum amore & gaudio beatifico impertiens : atque sic momento vno Limbum conuertit in paradysum, adimplens illud de æterna Sapientia dictum : *Penetrabo omnes inferiores partes terra, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.*

Eccel. 24.

Quanta illa benignitas & liberalitas Saluatoris nostri, qui ingratos, impios & proteruos Iudæos ob iniustissimam necem sibi illatam 40. annis distulit punire : at ne momento quidem vno differre voluit fidelium suorum animas, quam primum per soluto redemptionis pretio licuit, æternâ gloriâ remunerare ! Quantò is paratior est ad miserendum, quan. ad puniendum.

Quoties hoc ipsum & in te es expertus ? Quàm incredibili mentis tripudio sancti Patres, quorum multi millenis, bis teruè millenis, nonnulli quater, imò quinquies millenis annis in tenebroso illo lacu aduentum Messis expectarant, ad primum eius conspectum exultarint, cum tam insolitâ
lucem

lucem gloriamq; eius cernerent, seq; in momento vno diuinæ eius gloriæ consortes obstupescerent? Quam verè tum audita est *Vox exultationis & salutaris in tabernaculis iustorum?* Quanta submissione ac reuerentia illum, ceu Saluatorem, tam exoptatum, tam misericordem, & benignum exceperint, adorarint, agnouerintque, maximè protoplasti parentes, quod illi tantorum laborum, dolorumque causa exstitissent? quam cordiales pro tanta sibi collata gratia & gloria gratias egerint? quanto gaudio illi de victoria ab infernali principe tenebrarum reportata congratulati fuerint? Quam mirificè Christus ipse hos inter plausus exultarit, æternumque Patrem glorificarit, videns cœptum impleri illud sibi promissum: *Pro eo, quod laborauit Isa. 53. anima eius, videbit, & saturabitur: idè dissipetiam explorabit, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam!* Nam si olim Ioseph videns sibi duos filios in Ægypto natos, ita letitia gestijt, vt diceret: *Obluisci me fecit Deus omnium laborum meorum, &c.* Gen. 41. quantò magis Christus, cum se tot millibus filiorum circumdatum vide-

ret? Congratulatio de gaudio & gloria Christi, amor, gratitudo.

III. Mansit in Limbo ferè 40. horis vsq; ad Resurrectionem suam: interea excepit animam pij latronis, beatificauit & palàm collaudauit: animasque, vt credibile est, in purgatorio tum detentas, applicato sui sanguinis pretio liberauit, alijsque Beatis aggregauit. Quàm ineffabili hæc omnia dignationis, miserationis & dilectionis affectu præstitit? quàm mirificè vniuersum hunc Sanctorum cœtum recreârît, nõ solum gloriosa sua præsentia carcerem eorum cohonestando, sed intellectum eorum tot arcanorum, mysteriorum absconditorum tot sæculis, & præfiguratorum clarâ reuelatione illuminando, affectumque etiam luculenta infinitæ bonitatis & misericordix suæ manifestatione inflammando? Quàm attoniti obstupuerint, quàm lætabundi exultarint, omnes progenitores Saluatoris, maximè Adam, Abraham, Iacob, Dauid, cum cernerent omnes diuinas promissiones sibi factas tam abundè impletas? omnes, qui typum eius gesserant, vt Abel, primus Limbi incola & martyr; Noë, mundum per arcam saluans, Ioseph fratrum persecutio.

cutionem sustinens, Moyses, populum
 Israeliticum ex Ægypto per mare ru-
 brum educens, Iosue eundem in terrā
 promissionis introducens; alijq; con-
 spicientes figuras omnes veritati red-
 ditas: omnes Prophetæ, omnia à se in
 spiritu præuisa, & prædicta examussimā
 completa: omnes demum Iusti, vni-
 uersas tot veteris sacrificiorum & ce-
 rimoniarum umbras vnicum verum
 Messiam adumbrantes iam finē suum
 assecutas? quanto, inquam, magis ad-
 mirabundi exultarint hi omnes tot
 tamque arcana mysteria clarissimè in-
 tuentes, quàm illi duo discipuli eun-
 tes in Emaus, cum illis Dominus in *LUC. 24.*
 via interpretaretur scripturas? Quan-
 to affectu infinitam Dei veritatem, fi-
 delitatem, sapientiam, bonitatem, mi-
 sericordiam prædicarint & glorifica-
 rint, quas gratias illi egerint, atque, ut
 omnes in terra degentes hæc tanta my-
 steria clarius agnoscentes secū id præ-
 starent, exoptarint? Admiratio, gra-
 titudo, amor, zelus gloriæ Dei.

De gloriosa Christi Resurrectione.

II.

I. **G**loriosa Christi anima sub cre-
 pusculū illucescentis tertiæ diei
 T s stipa-

stipata non solum tot Angelorum milibus, sed duabus insuper turmis iustorum vtriusque legis, naturalis & scriptæ è Limbo, frementibus potestatibus tenebrarum, & eiulantibus tot myriadibus damnatorum, ascendens ad sepulcrum properavit: corpus suū, exangue, pallidum, lacerum, fœdeque deformatum omnibus conspiciendum exhibuit, simulq; omnia accepta vulnera, inflicta omnibus membris tormenta, tolerata scommata & opprobria, cū omnibus internis doloribus, & desolationibus ob oculos mentis posuit, vt quanti eos fecisset, quanto pere amâisset, quantum amore illorum passus esset, clarius perspicerent.

Quo admirationis, gratitudinis, amoris affectu SS. Patres, se omnium illorum causam agnoscentes, suspexerint, glorificârunt, super exaltarunt & exosculati sint tantam dignationem Saluatoris sui, tam dira, tam indigna pro se redimendis perpeti dignati: cū illum ea omnia perpeßum clarè viderent, quæ eum passurum ex tot figurarum, sacrificiorum, & prophetiarum umbris obscurè olim didicerant, præsertim illi, qui typum eius patientis in vita gesserant, vt Ioseph à fratribus

vca.

venditus, Noë à Cham derisus, Da-
 uid pro stulto à Rege Geth habitus,
 Iob vlceribus à sathana percussus, Da-
 niel iniuste accusatus & damnatus, I-
 saac immolandus eductus, Abel à fra-
 tre foris in agro occisus: & Prophetæ,
 qui in spiritu hæc præuiderant, vti I-
 saias, Ieremias, Daniel, David, & alij?
 Quanto cordis iubilo, cernentes, illū
 per mare tam atrocium dolorum, cru-
 ciatum transijisse, tamque gloriosè de
 infernali Pharaone triumphasse, illi
 accinuerint: *Cantemus Domino, gloriosè Exod. 15.*
enim magnificatus est, equum & ascenso
rem deiecit in mare? Quàm meritò &
 tu, cui toties tam clarè oculis mentis
 conceditur intueri ea, quæ pro te Sal-
 uator tuus passus est, eisdem affectus
 admirationis, compassionis, gratitu-
 dinis, amoris frequentare deberes?
 II. Posthæc eadem gloriosa Christi
 anima eidem illi corpori (recolleto
 prius Angelorum ministerio sanguine
 per diuersa loca sparso, venisque red-
 ditis, capillisque euulsis suo loco re-
 stitutis) se continuò inspectante &
 obstupescente toto comitatu rursus
 vniuit, eodemque momento abster-
 so omni vulcerum & vnguentorum
 squa-

squalore. illud reddidit gloriosum, claritatem, impatibilitatem, agilitatem, subtilitatem in excellentissimo gradu illi impertiendo: atq; sic eodem momento Christus rediuius, sicut nascens ex illæso Virginis utero exierat; nunc quasi renascens ex clauso tumulo prodijt, decorem indutus, amictus lumine sicut vestimento; prodijt, inquam, quasi alter Ioseph è carcere detentis capillis mortalitatis; & indutus vestem gloriæ & immortalitatis: quasi alter Moyses ex aqua & runcea fiscella Pharaonem in mari rubro submersurus: quasi alter Mardocheus exutus sacco mæroris, & indutus paludamento exultationis: quasi alter Daniel ex lacu leonum incolumis egrediens; quasi alter Samson sublati portis ex vrbe Gaza elabens, hostiumque molimina eludens: quasi alter Ionas è ventre piscis saluus tertio die emergens. Quanto demissionis & gratitudinis excessu Christus Dominus conspiciens se tanta gloria & honore coronatum æterno Patri gratias egerit, sic eum alloquens: *Conuertisti plantum in gaudium mihi, concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia, ut cantez tibi gloria mea, & non compungar?*

Quan-

Psal. 103.

Gen. 41.

Exod. 2.

Esth. 6.

Dan. 14.

Iud. 6.

Ion. 2.

Psal. 29.

Quanta reuerentia & submissione
 SS. Angeli Dominum ac regem suum
 iterum adorarint, nunc renatum, quē
 adorarant in stabulo natum (iuxta il-
 lud Apostoli: *Cum iterum introducit Heb. 1.*
primogenitum in orbem terra, dicit: Et ad-
orent eum omnes Angeli Dei) quāto plau-
su & exultatione illi congratulantes
iterum accinuerint: Gloria in excelsis
Deo, & in terra pax hominibus bonae vo-
luntatis? Quanto affectu idem præsti-
terint beati illi iustorum chori? quāto
exultabundi omnes coram illo pro-
strati ingeminarint: Dignus est Agnus,
qui occisus est accipere virtutem & diuini Apoc. 3.
ritatem, & sapientiam, & fortitudinem, &
honorem, & gloriam, & benedictionem.
 Congratulatio, Humilitas, Gratitudo,
 zelus gloriæ Dei.

III. Voluit porro Christus primoge-
 nitus mortuorum, & exemplar omni-
 um resuscitandorum glorificationem
 corporis cum nonnullis alijs, quorum
 monumenta in morte eius aperta fue-
 rant, communicare ex abundantia bo-
 nitatis & charitatis suæ, 1. Ad decla-
 randam infinitam liberalitatem suam,
 non minus in donis gloriæ corporis &
 animæ, quāto in donis naturæ & gra-
 tiæ erogandis. 2. Ad erigendam spem

Rom. 6.

Coloss. 2.

nostrā similis gloriæ olim participandæ. 3. Ad exhibendum nobis exemplar spiritualis resurrectionis, quod imitemur iuxta Apostolum: *Ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriā Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, exuendo veterem hominem cum actibus suis, & induendo nouum, qui secundum Deum creatus est; & quatuor gloriosi corporis dotes in hac etiā vitā moribus exprimamus, claritatem corporis exquisitā cognitione rerum cœlestium; impatibilitatem, continuā mortificatione prauarum affectionum; subtilitatem, exactā abrenunciatione omnium rerum terrenarum; promptitudine ad diuinam in omnibus explendam voluntatem; immortalitatem immobili in studio eximie perfectionis consecrandæ constantia.*

Quomodo Sancti illi resuscitati impertitam sibi tantam gloriā, & reliqui cum illis, ob spem similis suo tempore adipiscendæ exultarint, auctoremque eius Christum velut solem inter illos multò eminentiore claritate refulgentem glorificarint, mittentes coronas gloriæ suæ ante pedes eius, procidentes in facies suas & dicentes:

Apoc. 4. Dignus es Domine Deus noster accipere glo-

gloriam, & honorem & virtutem; quia tu
creasti omnia, & propter voluntatem tuam
erant, & creata sunt. Gratitude, spes,
amor, zelus eximiè proficiendi in spi-
ritu.

De apparitione B. V. Matri facta.

III.

I Magna quidem & ardens fuit
desiderium mœstissimæ Ma-
tris filium gloriosè resurgentem vi-
dendi; & quidem tantò maius & ar-
dentius, quantò constantior fuit eius
fides, firmiter spes, inflammatio cha-
ritas: at multò maius ardentiusque
fuit desiderium filij Matri se rediui-
uum & gloriosum exhibendi; vt quæ
maximè fuisset socia passionis, esset &
consolationis, & quidem tanto emi-
nentius, quantò eminentior erat cha-
ritas talis filij erga talem Matrem. Pro-
inde piissimus filius continuè tribus
stipatus choris, Angelorum, anima-
rum Beatarum, & Sanctorum refusci-
tatorum ad afflictissimam Matrem cõ-
solandam perrexit. Quanto maiore a-
moris affectu, quàm olim Samson in-
uentum fauum mellis cõtinuè detulit *Iud. 14.*
Matri? inuitans comites, vt, qui nunc
vidissent diuinitatem & humanitatem
luam,

suam, viderent & matrem sibi supra omnia creata longè charissimam. Quà cum in cubiculo in suis cruciatibus deuotissimè contemplandis defixam, largo lacrymarum imbre inundatam, spe, desiderioque sui videndi æquantem reperisset, quàm ineffabili cū exultatione, eam comitibus spectandam exhibuerit, non solum quoad externū corporis habitum, sed quoad intimum etiam mentis statum? Quo stupore illi attoniti eam suspexerint, quam tot extraordinarijs omnium charismatum prærogatiuis tam longè supra omnes puras creaturas euectam cernebant, quam tot figurarum inuolucris præfignatam, tot oraculis Prophetiis prænunciatam, spes suas omnes, quas olim in vita de ea habuerant, longè superare agnoscebant? quanto cordis iubilo, mentis solatio tripudiarint tantæ Virginis Matris progenitores, intuentes, promissiones sibi diuinitus de tanta filia factas tam abundè impletas? Prophetæ, coram contemplantes, quam obscure in spiritu præuiderant, Isaias virgam de radice Iesse; Ieremias mulierem circumdantem virum; Ezechiel portam Orientalem clausam?

Quas gratias pro tot illi collatis gratijs

tius egerint, quo gaudio Matri de tanto filio, & filio de tanta Matre congratulati sint? Congratulatio, amor, gratitudo, deuotio peculiaris erga B. Virginem.

II. Nec mora: confestim pijsſimus Filius tenebras cubiculi splendore claritatis suæ repente dispulit, seque Matri (quæ instar Leænae, rugitu suo carulum suscitantis; clamore desideriorum suorum, vt è cælo illum deduxerat, sic nunc ab inferno reuocarat:) incomprehensibili gloriâ refulgentem spectandum, amplexandumque stitit, inter agmina beatorum, suâ etiam claritate mirè radiantium, inter quos, sicut Sol inter stellas, longè eminebat, confortans illius sensus, vt Maieſtatem tantam ferre possent, simulque ineffabili luce eius intellectum illustrans, & diuina dulcedine affectû demulcens, vt seipsam vix caperet. Quam ineffabili lætitiâ ad primum Filij conspectû gestiecit, quam mirâ diuinæ dulcedinis abundantia exuberarit cor B. Matris. quod fuerat prius mare fellis & amaritudinis! Quantò magis illa, quæ olim Iacob audiens Filium Ioseph viuere & regnare in tota terra Ægypti, quasi è graui sopore euigilans dicere

Gen. 49.

Gen. 45.

V

po:

potuit: *Sufficit mihi, quia Iesus Filius meus vivit!* Quid senserint duo illa luminaria magna, Iesus & Maria, ex mutuo illo suavissimo conspectu? quanto clariùs & affectuosius non linguis, sed cordibus sibi inuicem locuti fuerint, quàm olim B. Ludouicus Rex Franciæ, & Fr. Aegidius sancti Francisci socius? quàm attonita hæserit mater in contemplanda Filij facie plena gratiarum? quàm venerabunda prostravit ad pedes eius, & exosculata fuerit cicatrices vulnerum instar solis radiantibus? quàm exultabunda erecta à Filio ruerit in illius amplexus, experiens in se iam tunc impleri illud: *Salutabor cum apparuerit gloria tua?* Et illud: *Secundum multitudinem dolorum in corde meo consolationes tua letificauerunt animam meam* Quoties diuina delibuta dulcedine pios Filij amplexus, sancta oscula iterarit, indeq; gaudium hauserit, quod in cor hominis non ascendit? O quàm suavis & benignus est Saluator erga omnes exemplo Matris sincerè se diligentes, impenseque in propriam & proximorum salutem incumbentes in hac vitâ, suauior erit & benignior erga eosdem in altera! **Congratulatio, Amor Iesu, & Mariæ.**
III. Au-

Psal. 16.

Psal. 91.

Salutabor cum apparuerit gloria tua? Et illud: Secundum multitudinem dolorum in corde meo consolationes tua letificauerunt animam meam

III. Auxit mirum in modum gaudium B. Matris conspectus tam gloriosi comitatus Filij, tot Sanctorum suorum progenitorum, Patriarcharū, aliorumque iustorum, in quibus cernebat primitias fructuum, quos tot labores Filij in horreum cœleste essent congregaturi: nec minus duxit gaudium illorum conspectus tantæ Virginis & Matris, in quam tot thesauros omnium gratiarum vbertim cōgestos obstupescabant. Quam mirificè Saluatori rursus de tanta Matre, cuius maiestate, pulchritudine, & excellentiâ contemplanda satiari nō poterant, sibi de tanta Filiâ super omnes benedictâ, quam velut Dominam mundi, Reginam cœli attoniti suspiciebant, cōgratulati fuerint? quanto affectuosius illam salutarint, quam olim Iudith princeps Ierusalem: *Tu gloria Ierusalem, tu Iud. 15. honorificantiæ populi nostri: per te ad nihilum redegit Dominus inimicos nostros?* quanta pietate cum Angelis accinuerint: *Regina cœli latare. Alleluia. Quia quem meruisti portare. Alleluia. Resurrexit sicut dixit. Alleluia.* Quanta reuerentia in tali Matre talem filium glorificarint, & in tali Filio talem Matrem collaudarint: idque quanta cum Filij ex-

lij exultatione gaudentis Matrē suam
amantissimam sic honorari? quanta
cum submissione Matris omnem glo-
riam suam in Filium referentis, suum-
que solenne canticum: *Magnificat a-
nima mea Dominum*, medullitūs inge-
minantis; atque insuper pro maternā
pietate rogantis, vt & discipulos cum
Magdalena, alijsque consolari, & in fi-
de confirmare dignetur: cui benignē
annuit, ineffabili eam gaudiorum ma-
ri ianantem relinquens. Congratu-
latio, Humilitas, Gratitude.

IV. *De apparitione Angelorum Mulieribus
facta.* Marc. 16. Matth. 28.

Luc. 24.

I. **M**ARIA Magdalena, & reliquę
pię mulieres, amore impulsu-
que diuino accensę, summo manē cū
aromatibus ad monumentum venien-
tes, vt vngerent Iesum, cum anxie es-
sent de lapide remouendo ab ostio
monumenti, & in cępto nihilomi-
nus; diuinę prouidentię confisę, per-
seuerarent, repererunt reuolutum per
Angelum lapidem. *O quām verē bonus
Israel Deus his, qui recto sunt corde!* quām
paterne omnes, quos ad eximiam per-
fectio-

Psal. 72.

fectionem sectandam, ad aliorum salutem promouendam, arctamq; secum familiaritatem ineundam excitat, si diuinæ gratiæ suæ strenuè cooperentur, ad progrediendum suauiter impellit, vacillantes confirmat, perseuerantes in bono proposito promouet, amotisque obstaculis diuinis solatijs fouet, atque ad sublimiorem sanctitatis gradum inuitat?

Quoties hanc paternam Dei prouidentiam in te excitando, promouendo, fouendoque in studio perfectionis experiris? quàm seridè ergò tantæ eius gratiæ cooperari teneris sincero, incenso, assiduo constantique studio proficiendi in via triplici perfectionis?

11. *Angelus, qui lapidem ab ostio monumenti remouerat, sedens super illum, exterruit custodes sepulchri, qui facti sunt velut mortui: At pias mulieres confortauit, inquit, Nolite timere, scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hic, surrexit enim sicut dixit. Venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus.* Hac benignâ Angeli voce animata, ingressæ cryptam monumenti cum Dominum non reperissent, viderunt duos Angelos stantes ad caput & pedes sepulchri in veste fulgenti, qui eas

Matt. 28.

Luc. 24.

consternatas ad excitandam earum fidem, sic sunt affati: *Quid queritis uentem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit. Recordamini, qualiter locutus est uobis cū adhuc in Galilaa esset, dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.*

Quantoperè diuinæ bonitati constantia in quouis opere pietatis & studio perfectionis placet, quam uti duplici Angelicâ uisione & consolatione in his Mulieribus remunerauit, sic in omnibus pijs animabus semper abundantiore gratiâ, & nonnunquam diuinæ consolationis affluentia compensare solet? *Constans feruor in spiritu proficiendi, Iesum crucifixum querendi, amandi, imitandi.*

Matth. 28. II. Et exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius. Quam gratus fuerit Christo tam ardens earum zelus paulò post demonstrauit, non iam amplius per Angelos, sed per seipsum eas consolando, in fide confirmando, zelum illum magis inflammando, dum ijs se spectandum præbuit, pedes exosculandos obrulit, easq; ad discipulos misit, resurrectionem suam annuntiaturas.

turas. Si porrò tam liberalis est Dominus in zelo animarum remunerando in hoc sæculo, quantò liberalior erit in futuro? quanta ergò alacritate hic sincerus zelus quàm plurimos ad Christum agnoscendum, amandum, imitandum trahendi esset desiderio, verbo, exemplo exercendus? Zelus gloriæ Dei & salutis animarum,

De apparitione Christi Maria Magdalena facta. Ioan. 20. V.

I. **M**AGdalena, cæteris digressis, stabat ad monumentum foris plorans, cum ergò fletet, inclinavit se & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, dicentes: *Mulier, quid ploras? dicit eis: Quia nulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eam.* Quanto amoris actu Magdalena, è qua tamen Dominus septem demonia eiecerat, præ reliquis feruebat, quæ desiderio dilecti sui videndi omne humanum & Angelicum solatium resuebat, lacrymis potius, quàm labijs affectum suum exprimens, illudque secum rumigans: *Idcirco ego ploras, quia longe factus est à me consolator, conuertens ani-*

man meam. Quantum apud eundem
 sponsum animæ suæ pollebat, quæ la-
 crymis contritionis peccatorum remis-
 sionem; lacrymis compassionis Laza-
 ri fratris resuscitatione, lacrymis amo-
 ris Angelorum, consolationem, & pau-
 lo post ipsius Domini Angelorum vi-
 sionem impetrauit? Quam pretiosa
 coram Deo sincera pœnitentia, quæ
 commissa peccata serijs lacrymis ex-
 piat, & seruire charitatis compensat?
 Quam felix anima, quæ exemplo Ma-
 gдалenæ crebro inclinât se ad intuen-
 dam peccatorum suorum fœditatem,
 Christi patientis cruciatuum acerbita-
 tem, gemituum proximorum multi-
 plicitatem, diurnam dilecti sui ab-
 sentiam, diuiniq; solatij ob imperfe-
 ctiones suas, subtractionem, sicque
 multiplicat lacrymas compunctionis,
 compassionis, amoris! Zelus æmu-
 landi Magdalenam in his triplicibus
 lacrymis seu affectibus frequentandis.
 II. Apparens illi Christus in Hortu-
 lani specie, differt ei se clarè manife-
 stare ad accendendum eius desiderium,
 augendumq; meritum, per eximium
 amoris actum, quem elicit Christo
 quærenti: *Quid ploras? Quem quaris?*
 respondendo: *Domine, si tu sustulisti*
enim,

eum, dicitis mihi ubi posuisti eum. & ego eum tollam: offerendo se ex insigni amoris excessu ad tollendū corpus eius cum præfenti etiam vitæ periculo, vel ex Pontificis atrio, vel Præsidis prætorio. O quanta bonitas cœlestis sponsi, quanta charitas erga animas sibi dilectas, quarum tunc vel maximè intendit gratiæ & gloriæ incrementū, quando ijs subtrahit dulcis suæ præfentiæ experimentum! Quanto ergo amore tam desolationes, quàm consolationes de manu tã amabilis sponsi forent acceptandæ? Resignatio ad desolationes ferendas.

III. Hac amoris sagitta sauciatus Iesus, nomine proprio eam compellans oculos eius aperuit, intellectum illuminavit, affectum inflamavit, ut vitium videret, quem mortuum quærebat; ut Deum agnosceret, & amaret, quem hominem reputabat & desiebat; atque ita lacrymas doloris eius in lacrymas gaudij conuertit. Quàm subito liquefacta est anima Magdalenæ, *Cant. 5.* quamprimum Verbum æternum, dilectus eius, locutus est vnum verbum? O quam verè *vinus & efficax est sermo Dei, penetrabilior omni gladio ancipiti? Heb. 4.* Respondens ergo, quæ prius vino

amoris erat ebria, nunc sibi reddita: *Rabboni*, id est, magister mi, moxque ad pedes eius exosculandos accurrit; ubi primum se inuenisse gratiam, celestemque hausisse doctrinam meminit: at repulsa est à Christo prohibente: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*: ob imperfectam eius fidem, quasi illi diceret: *Ideo noli me tangere*, quia in corde tuo necdum ascendi ad Patrem meum, cum necdum satis credas me iam esse glorificatum, atque mox ad Patrem ascensurum: demum eam velut Apostolam suis discipulis renuntiare iussit: *Ascendo ad Patrem meum*, per naturam & æternam generationem; & *Patrem vestrum*, per gratiam & adoptionem, *Deum meum*, per essentiæ unitatem, & *Deum vestrum*, per charitatis unionem. Quàm magna multitudo dulcedinis Domini erga suos electos, quos tam iuuiter visitat, mirabiliter illuminat, ardentè inflamat, efficaciter impellit ad continuum profectum in sanctitate, gratiâ, gloriâ in se alijsque promouendum! Quoties similem benignitatem eius te erigentis, consolantis, illuminantis, accendentis, ad progrediendum in triplici via perfectionis impellentis, atque

que ad alios tecum ad se attrahendos
 exstimulantis experiris: utinam simili
 fervore, quo Magdalena, sic te aman-
 tem redames, eius sanctissimæ volun-
 tati in omnibus, quæ inspirat, parere
 fatagas! Gratitude, amor cum debi-
 ta reuerentia, zelus gloriæ Dei & sa-
 lutis animarum.

De apparitione Petro facta.

VI.

I. **M**aria Magdalena & aliæ Mulie-
 res Apostolis lugentibus &
 fletibus nuntiauerunt, quæ audie-
 rant & viderant: *Et visa sunt ante illos* *Marc. 16.*
velut deliramentum verba ista, & non
crediderunt illis, cum toties Christus ijs,
 & quidem paulò ante passionem my-
 sterium resurrectionis suæ inculcasset?
 O quanta humana fragilitas in rebus
 humanum captum excedentibus ca-
 piendis, & credendis, vti & in ocul-
 tis iudicijs, consilijsque infinitæ Dei
 sapientiæ probandis & acceptandis?
 Quam specialis gratia reputanda, pos-
 se facile in omnib. fidei articulis, etiam
 abstrusissimis, captiuare intellectū in
 obsequium fidei, atq; in omnib. iudi-
 cijs, decretis, operibus & permissioni-
 bus diuinis toto intellectu & affectu

sentire, & dicere cum regio Propheta:
Psal. 144. *Iustus est Dominus in omnibus vijs suis, &*
sanctus in omnibus operibus suis! Humi-
 liatio sui, exercitatio fidei, submissa &
 reuerens admiratio occultorum iudi-
 ciorum Dei hic subiicienda.

Ioan. 20. II. Petrus & Ioannes cæteris minus
 increduli, & charitate feruentiores,
 seposito metu Iudæorum & custodū,
 currunt ad monumentum, relatorum
 fidem prudenter exploraturi; ingre-
 diuntur, inspiciunt linteamina, quibus
 fuerat inuolutum corpus, & sudariū;
 mirantur, in fide confirmantur, sen-
 timque disponuntur ad fruendum cō-
 spectu dulcissimi Magistri: quos inter-
 rim affectus admirationis, compon-
 ctionis, spei, amoris, gaudij elieuerint.
 Petrus prius ingressus typū fidei præ-
 fert, & vitæ actiue; Ioannes Petrum
 subsequutus, charitatis, & vitæ contem-
 platiue: eò quòd cognitio fidei ducat nos
 ad amorem Dei, & labor vitæ actiue dis-
 ponat ad quietem contemplatiue. O felix
 anima, quæ diuinis inspirationibus
 excitata, confestim surgit, currit, vo-
 lat ad quærendum, amandum & glori-
 ficandum dilectum suum per ardentes
 actus fidei & charitatis, per assiduum
 conatum proficiendi in exercitijs vitæ
 acti-

actiuæ & contemplatiuæ, maximè in
 continua passionum mortificatione ;
 virtutum sibi magis necessariarum ex-
 ercitatione, & voluntatis suæ cum di-
 uina conformatione. Zelus in triplici
 perfectionis viâ proficiendi, atque ad
 intimam cum Deo vnionem pertin-
 gendi.

III. Cùm redirent hi duo discipuli so-
 cijijs visa relaturi, videtur Petrus soli-
 tarius ambulasse, *secum mirans quod fa-
 ctum fuerat*, cui talia cogitanti, & tri-
 nam negationem, vt incredibile est, mo-
 re suo amarè deflenti, apparuit pius
 Dominus, vt colligitur ex D. Luca,
 qui refert Apostolos dixisse redeunti-
 bus discipulis ex Emaus: *Quod surrexit Luc. 24.*
Dominus verè, & apparuit Simoni. Quo
 pudore, quo dolore, qua fiducia Pe-
 trus ad pedes amabilissimi magistri sui
 prociderit, non tam verbis, quàm la-
 crymis delicti sui veniam deprecans,
 sicque cum filio prodigo intimè hu-
 milians. Quàm benignè illum miseri-
 cordissimus Dominus eleuarit, secu-
 rum esse iusserit, sicque vel similibus
 verbis consolatus sit: *Pax tecum. Noli
 timere, ego sum: dimissa sunt tibi peccata
 tua, nunc conuersus confirma fratres tuos.*
 Quomodo fuerit Petrus tanta Domi-

ni benignitate obstupefactus, quā mirificè in fide & spe confirmatus? quanto amore & zelo gloriæ eius inflam-
matus? quas exultabūdas gratias ege-
rit? quam heroica hanc tantam Do-
mini liberalitatem compensandi desi-
deria obtulerit? Et mox, disparente
Domino, quanto gaudio ad socios
consolandos properarit? quanto zelo
eosdem in fide confirmarit?

Rom. 5.

O qualis abyssus infinitæ miseri-
cordiæ & bonitatis Dei erga peccato-
res serio respicientes, quos non ra-
rò maioribus prosequitur fauoribus,
quàm innocentes, vt vbi superabun-
dauit delictum, superabundet & gra-
tia! vt patet in Magdalena & Petro,
vti & in filio prodigo. Si porro tanta
est eius benignitas erga peccatores
feruenter respicientes, qualis erit er-
ga innocentes feruenter semper in viâ
perfectionis progredientes? Et si tan-
ta illa est erga filios peregrinantes in
terris, quanta erit erga conregnantes
in cœlis? Gratitude, spes,
amor, feruor profi-
ciendi.

(. .)

De

De apparitione facta duobus disci- VII.
pulis euntibus in Emaus.

Luc. 24.

I. DVobus discipulis Hierosolymā
in Emaus proficiscentibus me-
rore confectis, tanquam ouibus er-
rantibus adiungit se in habitu peregri-
ni Pastor bonus, tum misericordia sua
infinita permotus, tum pio eorum de
sua passione colloquio inuitatus, ad
mœrentes eos consolandos, ignoran-
tes instruendos, vacillantes confirmā-
dos, aberrantes reducendos. Quod
vt suauius, & efficacius præster, quæ-
rendo ijs occasionem præbet manife-
standi causas sui mœroris, & vulnera
mentis.

Quam grata Christo pia de se, sua
passione, rebusque alijs diuinis colla-
tio, cui ipse interesse dignatur, pro-
ut promittit: *Vbi duo vel tres congregati* Matt. 18.
suerint in nomine meo, ibi sum in medio
eorum?

Quoties & te afflictum, tentatum,
desolatum pius Iesus vel per internas
illustrationes, vel per externas Super-
iorum aut virorum spiritualium al-
locutiones crexit, instruxit, confir-
mar-

mar-

mauit! quanta illa gratia! quantus amor? Gratitude, amor Christi, & piorum colloquiorum.

II. Redarguit eos acriter, simulq; curare cœpit vulnera incredulitatis ab ipsis detecta dicendo: *O stulti & tardi corde ad credendum!* simulq; scripturas interpretando, clareque ijs demonstrando ex lege Moyſis, & Prophetis, Christum oportuisse pati, *& sic intrare in gloriam suam.* Quanto zelo, quam suaviter & efficaciter hæc præstiterit tantus Zelator gloriæ Patris, eorumq; salutis, & mentem illuminando, & voluntatem accendendo, vt non solum crederent, sed & amarent, quod de Christo audierant? Quanta illi patientia eius increpationem exceperint, quanta reuerentia suspensæ ex ore eius hæserint, quales fidei radios, compunctionis stimulos, amoris flammæ intus senserint?

Quoties & tibi conceditur hunc audire Magistrū nunc per se intus, nunc per suos Vicarios increpantem, instructum, ad sublimiora exstimulantem? Utinam simili patientia, reuerentia, amore, zelo proficiendi! Gratitude, zelus imitandi.

III. Cum instat viatoris, qualis ab illis

lis habebatur, fingeret se longius iturum, sed rogaretur & cogeretur, ut maneret, dignatus est cum illis intrare, tandemq; in fractione panis se manifestare: idque 1. Ut daret illis occasionem illa liberali hospitalitate, & aviditate diuina mysteria audiendi, plus merendi, seque disponendi ad clariorem sui cognitionem, & perfectiorem amorem. 2. Ut ostenderet, gratum sibi esse, se non solum à nobis rogari, sed etiam instanti oratione cogi cum Patriarcha Iacob: *Non dimittam Gen. 22. te, nisi benedixeris mihi.* 3. Ut pium frequentemq; usum sacrosanctæ Eucharistiæ (quam tunc creditur ijs porrexisset) nobis commendaret, quâ multò eminentius illuminantur oculi mentis, quàm olim melle à Ionatha gustato 1. *Reg. 14.* oculi corporis.

Quos amoris affectus, quæ maioris eorum, omniumque, quos in his duobus instruere & accendere destinabat, perfectionis desideria pius Dominus interim elicuerit? quas illi sibi intus subdi faces senserint? quanto gaudio perfusi fuerint? quanto zelo, eo euanescente, ad socios eiusdem gaudij participes reddēdos properarint? Gratitude, amor, deuotio erga V. Sacram. zelus animarum.

De

2. hebd.

I. De apparitione facta discipulis ipso die
Resurrectionis. Luc. 24.

Ioan. 20.

I. CUM discipuli in cœnaculo congregati metum Iudæorum, & spe videndi dulcem Magistrum suspensi, nocte ingruente, inter se, ut credibile est, conferrent ea, quæ à diuersis circa eius & Angelorum apparitiones audierant, quæque ante triduum ibi gesta fuerant, recolerent, seque inuicem in fide, & spe confirmarent, ecce repente Iesus mira luce circumfusus ingressus ianuis clausis, *Stetit in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis. Ego sum, nolite timere.* En quam dulcis & suavis est Dominus, qui suos dilectos discipulos hucusque præsentia sua consolari distulit, tum ad tarditatem quorundam ad credendum paternè castigandum, tum ad desiderium omnium acuendum, gaudiumque & meritum augendum: nunc verò quam abundè id, quod distulerat compensat? En, quam sereno vultu, quam amabili corporis habitu stat velut bonus pastor in medio ouium suarum dissipatarum, ut eas colligat, atque ad cui-

le re-

le reducat; velut bonus Magister inter discipulos, vt eos erudiat; velut Sol iustitiæ inter stellas, vt eas illuminet; velut princeps inter suos milites, vt eos animet; velut Pater futuri sæculi inter suos filios, vt eos consoletur; velut caput corporis mystici Ecclesiæ inter membra sua, vt ea viuificet? quanto maiore erga eos tenerri-
mi amoris affectu, quàm olim Ioseph erga suos fratres, cum se ijs in Ægypto manifestaret? quanto maiore discipulorum stupore, solatio, gaudio, quam fratrum Iosephi cum ab ipso audirent: *Ego sum Ioseph frater vester, nolite pauere.* *Gen. 45.* Quoties similia amoris signa cœlestis sponsus exhibet dilectis suis, cum tentationibus obruti cum Diuo Antonio & Catharina Senensi se omninò ab eo desertos existimant, & quidem in corde eorum residens eos repente illuminando, animando, inflammando, consolando! Quanto eminentius id quod inchoat nunc in viâ, perficiet olim in Patria? Grati-
do, spes, amor.

II. Cum verò conturbati, & territi existimarent se spiritum videre, obtulit se non solum videndū, sed & palpandum, ostendens eis manus, pedes, & la-

& latus. Quanta benignitas Salvatoris, qui corpus suum gloriosum dignatus est mirabiliter discipulis præbere palpabile, vt eos in fide confirmaret, & simul impassibile, vt ad præmium inuitaret! Ostendere ijs cicatrices vulnerum manuum, pedum & lateris, vt sanaret eorum vulnera infidelitatis, simulq; accenderet flammis charitatis! Et quidem quàm incenso eorum salutis & maioris perfectionis desiderio! quanta reuerentia discipuli tam suaviter inuitati sacra eius vulnera contingerint, quanta pietate exosculati fuerint, quàm se sacro illo conatu illuminari & inflammari senserint?

O quoties simili benignitate tibi dulcissimus Iesus manus, pedes & latus exhibet exosculanda, quando tibi eorum, quæ pro te passus est memoriam refricat, sicque te ad glorificandum se, redamandum, imitandumque exstimulat? Gratitude, amor, zelus multa ardua faciendi & patiendi pro Christo, crebra sacrorum vulnerum recordatio & veneratio.

III. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio, comedit coram eis de fauo mellis & pisce asse sibi oblato. O mira dignatio Domini.

mini Maieftatis, non dedignantis in
gratiam feruulorum demittere fe ad
id, quod ftatui fuo non conueniebat!
idque, vt eos in fide adhuc nutantes
confirmaret, nosque ad efcam diuino-
rum per fauum mellis & pifcem affum
designatam, ad diuinitatem fcilicet
fuam omnis dulcedinis fontem, & hu-
manitatem igni paffionis affam crebro
pieque in facra communione deguftan-
dam, fibique deuote in folenni Miffæ
facrificio offerendam inuitaret, atque
ad cœleftem illam cœnam nuptiarum
Agni, quam myftica illa præfiguratur,
fperandam, defiderandamque alliceret.
O quam beati, qui ad vtramque illam
cœnam nuptiarum Agni vocantur! at
quanto beatiore, qui alteram pie fre-
quentare in terris, altera beatè frui in
æternum merentur in cœlis! Amor,
gratitudo, zelus pie communicandi,
& Miffam celebrandi vel audiendi.

De eadem apparitione. Ioan. 20. II.

I. **C**um pius Dominus difcipulos
fuos vacillantes in fide veræ re-
furrectionis fuæ confirmaffet, tam pa-
ternè eos alloquendo, fe fpectandum
& palpandum omnibus offerendo, co-
ram

tam

ram ipsis edendo, insuper dignatus est instar solis eorum mentes diuinæ lucis suæ radijs profundius penetrare, & perfectius illustrare, referendo eis mysteria redemptionis humanæ, aperiendo sensum Scripturarum, clarè demonstrando: Sic oportuisse Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & predicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. quanto id zelo & gaudio præstitit Dominus, præuidens in his pauculis discipulis tot myriades fidelium, qui tanto affectu forent hæc arcana mysteria credituri, suspecturi, veneraturi, fideque huius beneficio insignes gratiæ & gloriæ coronas promerituri? Quàm attoniti & exultabundi discipuli pependerint ab ore eius, obstupescerunt & suam hucusq; cœcitatē, & mysteriorum sibi reuelatorum profunditatem.

O quanto reuerentiæ, gratitudinis, amoris & deuotionis affectu à nobis forent excipiendæ diuinæ illustrationes impulsusque ad continuum maioris perfectionis studium toties nos excitantes, cum id vnice dilectus animarum nostrarum sponsus deside-

ret?

ret? Gratitude, amor, zelus diuinis inspirationibus parendi.

II. Deinde, iterum eis pacem triplicem, cum Deo, secum ipsis, & proximis necessariam ad munus Apostolicum aggrediendum precatus, substituit eos sibi in opere missionis sue successores, dicens: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: quasi diceret, sicut misit me Pater, dans mihi omne iudicium, & potestatem, in mundum, ad docendam viam veritatis, & virtutis, exemplo, & verbo; non ad quietem, honores, & delicias; sed ad labores, ignominias, ærumnas, persecutionesque sustinendas, licet me infinite amaret: sic & ego, æqualis Patri, plurima vobis communicans charismata, mitto vos in mundum, measque vices vobis delego, ad prosequendum quod cœpit tam arduum opus conversionis hominum in laboribus & ærumnis, in persecutionibus & tribulationibus multis, licet vos intimè amem. Quanto proinde studio cuius vocato ad statum Apostolicum pax illa triplex erit procuranda? quantus zelus multa ardua faciendi & patiendæ pro conversione animarum cœcipiendus? Feuor proficiendi in animæ puri-

rira-

titate, fraterna charitate, familiaritate cum Deo, zelus animarum.

III. Demum insufflando dedit eis Spiritum sanctum, & potestatem dimittendi peccata (*insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quanta benignitas misericordissimi Saluatoris erga suos Electos, quorum illi nota fragilitas, tam facile & expeditum ijs remedium peccata expiandi prouidentis? quanta liberalitas erga suos in terris vicarios, tam amplam ijs absque vlla restrictione concedentis potestatem dimittendi omnibus, omnis generis peccata, quantumuis enormia, quantumuis multa, & penè innumera, vsque ad consummationem sæculi; constituendo eos quasi proteges suos, qui faciant id, quod ipse facturus esset in terra, si in ea perpetuò maneret, qui peccatores Deo reconcilient, in sanctitate perficiant, in cœli reges inuigant? Gratitude, feruor cooperandi gratiæ Apostolicæ uocationis in conuersione peccatorum.

(:)

De

De apparitione facta die octauo præ-
sente Thomâ. Ioan. 20.

III.

I. **C**UM Thomas protestatus fuisset: *Nisi videro in manus eius fixuram clauorum, non credam,* post dies octo rursus discipulis congregatis cū Thomâ, *Veni Iesus ianuis clausis, & stetit in medio. & dixit: Pax vobis*

Quanta fragilitas hominis destituti gratia? quanta peccatoris non statim resipiscantis cōtumacia? En Thomas, qui segregarat se à cætu discipulorum, ideoq; non meruerat primum cum ijs videre Dominum rediitum, non solum apparitionem Angelorum & visionem mulierum, velut deliramentum deridere pergit; sed insuper contestantibus omnibus, se vidisse eundem, & palpasse, pertinaciter credere renuit: modū extraordinarium, quo vellet ad fidem perducī, præsumptuosè Deo præscribere nō erubescit: cum summa omnium tristitia in hac pertinacia & præsumptione occiduo perseverans, nullis se rationibus convinci, nullis, ne quidem ipsius Petri & Matris Dei obtestationibus flecti sinerit. Quàm verè inde apparet, quod fides & conuersio peccatoris sit gratuitum

X

tum

Ioan. 14.

tum donum Dei? Et quàm verè dixerit ipsa Veritas: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum?*

Quò Thomas incredulus, quò quis peccator tandem deueniret, nisi illum diuina misericordia benignè respiceret? At quantò maior benignitas Saluatoris non solum ad hanc vnicam ouiculam errabundam reducendam iterum apparere dignantis, sed etiam ex hac tanta pertinacia eius tantum bonum elicentis, feruentem scilicet eius conuersionem, & nostrum omnium in fide resurrectionis eius confirmationem? Agnitio humanæ fragilitatis, comparsio, spes misericordiæ, gratitudo, zelus animas errantes reducendas.

II. Deinde dicit Thomæ: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manū tuam, & mitte in laeuis meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Quàm inæstimabilis dignatio Domini vniuersorum, qui non dedignatur seruum incredulum eo ipso modo extraordinario, quo ipse presumptuosè voluerat, ad credendum inducere, cicatrices vulnerum suorum palpandas illi offerendo, manum que eius, quamuis repuentis, vt credibile est, apprehen-

Act. 9.

hendendo, ijsque applicando! Quam incomprehensibilis eiusdem providentia erga quemvis electum, ut propter illum, si opus esset, rursus de cælo descenderet; vti propter Paulum fecit; & potius totum vniuersum inverteret, quam vnicum electum perire sine-
ret? Amor, gratitudo, fiducia.

III. Thomas, visis tactisque cicatricibus gloriosi corporis Domini, mox diuina lucè collustratus, agnoscens eius Diuinitatem exclamauit: *Domine meus, & Deus meus!* Quam miris senserit repētè cor suum flammis cor-ripi, quam primùm manum misit in illam ardentem fornacem amoris? Quanto lacrymarum profluuio inundatus, cum verbis non posset, singul-tibus veniam errati supplex petierit? Quam eximios tunc coram Christo prostratus fidei, fiduciæ, humilitatis, gratitudinis, amoris, & zeli gloriæ eius elicuerit affectus? quam ardentè, non absque profusione lacrymarum, eosdem iterarit, quoties & suæ ob-stinationis, & tantæ Domini digna-tionis meminit? Non meruit tamen ob hanc confessionem à Christo bea-tus prædicari, vti S. Petrus, quod il-lam inspectio extorsisset, sed potius ad

expiandam suam incredulitatem arguit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: Beati, qui non viderunt & crediderunt.*

Quantum est veræ fidei meritum, quod non requirit à sensibus testimonium, nec ab humana ratione experimentum! Feruor conuersionis, & zelus proficiendi in prædictis virtutibus.

IV.

De apparitione factâ septem discipulis piscantibus. Ioan. 21.

I. **C**um septem illi discipuli tum inopix suæ subleuandæ, tum otij vitandi causa tota nocte piscati nihil cepissent, miseratus eos Iesus in litore stans pulmentarium petijt, & cum se habere negarent, ad dexteram nauigij iaci rete iussit: parent illi, & iam non valent trahere illud præ multitudine piscium. Ea quàm vanus & insanus labor est sudare in studio propriæ, alienæque salutis ac perfectionis promouendæ, in nocte peccati absque verâ pœnitentia; in nocte sinistrae intentionis absque puro diuini honoris & amoris intuitu; in nocte confidentiæ in propria industria, nõ in speciali Dei gratia; in nocte voluntatis propriæ absque directione sanctæ obedientiæ? Quantum porro breui tempore proficitur,

citur, si conatum illum puritas cordis, sinceritas intentionis, fiducia in Deū, obedientiæ meritum comitetur?

Quam meritò ergo nobis ad spiritualem hanc piscationem vocatis suspirandum ad Christum, qui ait: *Sine* Ioan. 15. *me nihil potistis facere!* Quod absq; dubio sapius illa nocte fecerunt discipulimemores Magistri, cuius opem in simili piscatione initio conuersionis senserant. Quanta cura adhibenda in acquirenda puritate mentis, in munda- Luc. 8. dando oculo intentionis, in cauendo vitio præsumptionis, in abnegatione propriæ voluntatis? Zelus sincerus prædicto modo propriæ alienæq; perfectionis promouendæ acuendus?

II. Ioannes ob virginalem integritatem & ingenuum mentis candorem typus perfectorum in vita contemplatiua prior Christum agnoscit, alijque indicat: Petrus typus feruentium in vita actiua prior ad eundem properat, & quidem mittendo se in mare, seu generose se obijciendo fluctibus laborum, periculorum, persecutionum, amore Christi, sicque enatando ad portum æternæ quietis; non expectando tardio-rem nauis motum more aliorum è procelloso sæculi mari enauigantium

X 3

ad

ad eundem portum beatæ æternitatis. Interim Christus Angelorum ministerio ijs prandium parat.

Rom. 8.

Quàm grati sunt Christo labores suorum famulorum, quos in exercitijs vitæ contemplatiuæ simul & actiuæ subeunt; cum eos & in hac vita tanta diuinorum solationum affluentia non raro condiat, & in altera ineffabilium deliciarum fruitione compenset? Quàm meritò ergò & dicendum & sentiendum cum Apostolo. *Non sunt condignæ passiones huius temporis, multò minus labores & difficultates exhauriendæ in studio perfectionis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis!* Feruor proficiendi in exercitijs vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, seu in praxi mortificationis & deuotionis.

III. Ut descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem suppositum & panem; iubentur à Christo afferre de piscibus, quos prendiderat, & quidem magnos 153. non scisso reti; inuitantur ad prandium, reficiuntur pane & pisce asso, cum incredibili cordis gaudio. Vti duplici, laboriosa simul & copiosa piscatione Petri & sociorum, præfiguratur duplex vocatio hominum per ipsos & successores con-

vertendorum, quarum altera est proborum & reproborum ad Ecclesiam, significata per capturam piscium omnis generis factam ante eorum conversionem, in qua ruptum est rete: altera solorum electorum ad gloriam, præsignata per hanc capturam piscium magnorum 153. facta post Domini resurrectionem: sic gaudium, quod ceperunt ex illa captura piscium, & prandium ijs à Christo paratum, præfigurat ineffabile gaudium quod habebunt in cælo ob multitudinem electorum opera sua saluatorum, & inestimabile conuiuium liquidissimarum deliciarum, quibus æternum perfruentur.

Quàm immensa Christi liberalitas erga seruos suos in animarum salute procuranda strenuè desudantes, quos, si subiade tantis in valle lacrymarum diuinæ dulcedinis suæ stillicidijs inebriat, ecquos torrentes voluptatum, quibus æternum potentur, in paradiso cœlesti ijs reservabit? Amor, gratitudo, zelus animarum.

(.)

X 4

De

V. De Petro à Christo Vicario constituto. ibidem.

I. **C**UM prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: *Simon Ioannis diligis me plus hu?* priusquam Petrum sibi Vicarium substituatur, ter eum interrogat: *Amas me?* idque 1. Ut trino illo actu humilitatis & charitatis humiliter & cautè respondendo: *Domine tu scis, quia amo te*, expiaret maculam ternæ præsumptuosæ negationis. 2. Ut ostenderet eum, cui aliorum salus procuranda committitur, debere excellere charitate erga Deum, proximum, & seipsum; & benè fundatum esse in mentis puritate, virtutum soliditate, & voluntatis propriæ cum diuina conformitate. 3. Ut continuum proficiendi in hac triplici charitate ac perfectione studium eidem, omnibusque in proximorum salutem incumbentibus inculcasset.

Deinde illi vniuersalem curam Ecclesiæ suæ mandat dicens: *Pasce agnos meos, pasce agnos meos*, communes nimirum fideles; *pasce oues meas*, ipsos etiam reliquos pastores tanquam matres agnorum seu fidelium subiectorum. Ter porrò illi ait: *Pasce*. quia vult eos pasci oratione, doctrina, exemplo:

plō: seu iuuari pia Sacramentorū administratione, beneficiorum tum spiritualium tum corporalium collatione, & paterna cōtumacium correptione: seu dirigi, excitari, propelli in viā triplici perfectionis decurrenda.

Quanto ergo seruore & constantia in asiduum propriæ alienæque perfectionis studium meritō esset incumbendum illi, quem Christus tam speciali gratia Apostolicę vocationis sublimare, atque in cooperatorem suum in lucrandis animabus, tanto pretio à se redemptis, assumere dignatur, præsertim cum id vnicè in compensationē tantæ suæ liberalitatis exoptet, copiosamque gratiam offerat? Amor, gratitudo, zelus propriæ, alienæque perfectionis promouendæ.

II. Posthæc, Petro martyrium Crucis prædicit, tanquam certum signum amoris, quem professus fuerat. *Bonus est pastor animam suam dat pro ouibus suis. Amen, amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cum autem senueris, extends manus tuas, & alius cinget te; & ducet, quò tu non vis* ubi insinuat duplex mortificatio zelatori propriæ, alienæque perfectionis per necessaria, quarum altera

X s

spon-

spontè assumpta constanter vrgenda est, maximè incipientibus, nempe tam exterior carnis & sensuum, quam interior mentis, prauorum habituum, & passionum refrenatio: altera aliunde illata alacriter & gaudenter acceptanda est, maximè à perfectioribus, vndeunque proueniat.

Quàm pretiosa vtraque hæc mortificatio pura cum intentione, magno cum feruore, inuictaq; constantia frequentata! quam efficax medium ad excelsum sanctitatis, gratiæ, gloriæq; gradum, nonnunquam etiam martyrij brauium promerendum! Amor crucis, & mortificationis.

III. *Et cum hoc dixisset, dicit Petro: Sequere me* hoc dicto videtur Christus progredi cœpisse, sicque actu ipso exprimere voluisse hanc peculiarem Petri sequelam non solum in officio Pastoris, sed etiam in simili morte Crucis. Sequentem Petrum cœpit sequi Ioannes a Christo separari nolens, quæ conuersus Petrus, vt sequentem vidit, sollicitus pro Ioanne ex zelo amicitie dicit Iesu: *Domine, hic autem quid? cupiens scire, an simili mortis genere esset clarificaturus Deum.* At redarguit Christus eius curiosum desiderium: Si

Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Ut illum, nosque omnes in ipso instruat, 1. Cauendum esse ne curiosè temereque ijs rebus, quæ ad nos non spectant, nos immisceamus intuitu humanæ familiaritatis, cum iactura spiritus & temporis. 2. In similibus casibus diuinæ prouidentia, cui est cura de omnibus, esse committendum, quicquid illi circa nos aliosque nobis, quouis modo, coniunctos, ordinariè placuerit. 3. Reiectis curis ab instituto nostro alienis, ijs, quæ nos concernunt; esse seriò intendendum, vnicèque id curandum, vt Christum sequamur, eiusque gratia cooperemur in eo vitæ & officij genere, ad quod nos elegit & vocauit. Amor Crucis, fuga curiositatis, resignatio, zelus perfectè agendi, quod agis.

De apparitione facta in monte Galilea. Matth. 8.

VI

I. **A**postoli iussu Domini migrantes in Galileam, renunciant alijs discipulis istic dispersis gloriosam eius anastasin, & futuram apparitionem, atque ita congregati plusquam quingenti

X 6

genti

genti fratres læti conscendunt montē Thabor, vt verisimile est, sibi designatum. Quanto gaudio & desiderio fruendi suauissimo aspectu, & alloquio Magistri sui rediuiui, quem mortuum planxerant ! quibus pius Dominus, prout promiserat, gloriosū se spectandum exhibuit, nec solum eorum oculos gratiose suo vultu, in quem desiderant Angeli prospicere, mirificè recreauit, sed multò etiam magis oculos mentis, mira interni luminis claritate collostrauit, vt nonnulli, qui primum paululum vacillārant, in fide repente confirmati, cum reliquis illum ceu verum Saluatorem mundi & Filium Dei adorarent.

Quàm ineffabili porro consolatione perfusi fuerint, cum eum propius accedentem, cuius verba dulciora super mel & fauam, audirent dicentem: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra;* simulque diuinæ lucis radio illustrati clarè agnoscerent illum, velut caput hominum & Angelorum, & verū Dei Filium, nunc insuper iure suorum infinitorum meritorum habere potestatem faciendi, quicquid veller circa omnes & singulos in cælo & in terra: in cælo quidem quoad meritorum

torum remunerationē, donorum gloria distributionem, Ecclesie triumphantis gubernationem, reproborum punitionem: in terra verò, quoad peccatorum remissionem, donorum gratia dispersionem, Ecclesie militantis administrationem, impiorum coercionem. O quàm beati eorum oculi fuerunt, quàm beatæ aures! si tres discipuli cum in eodem monte illum transfiguratum viderent, simulque au- *Matt. 17.*
 dirent Moysen & Eliam loquentes de excessu, quem completurus erat in Ierusalem, præ gaudio quasi rapti, omnium obliti, se beatos iudicarent, quod inuuit Petrus: *Domine, bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula:* quanto diuinæ dulcedinis torrente horum corda inundarint, cum eundem iam gloriosum, & non iam in terrestri Ierusalem tam dira & indigna passurū, sed in cœlesti Ierusalem æternū regnaturum conspicerent? At quanto largius, eminentius, beatius perenni inexhaustoque torrente ineffabilium deliciarum potabuntur & inebriabuntur, qui videre merebuntur eundem, sicuti est in monte sancto eius, quando *in lumine eius videbimus lumen: & sat-* *Psal. 35.*
tiabimur cum apparuerit gloria eius. Gau. *16.*
 X 7 diurna

dium de gloria Christi; gratitudo, amor, spes ac desiderium cœlestis patriæ. II. Sic confirmatos & exhilaratos Apostolos mittit Christus in mundum uniuersum, secundum potestatem sibi datam, ad prædicandum Euangelium, non solum Iudæis, sed omnibus etiam gentibus; commendans ijs, ut doceant omnes ea, quæ ad fidem pertinent, ut baptizent sic in fide instructos; ut baptizatos informet, excitentque ad obseruationem omnium præceptorum. Quanto Christus flagrat desiderio omnibus, quantum in se est, pretium redemptionis suæ applicandi per sinceram ad fidem conuersionem; per gratiæ iustificantis infusionem; per acceptæ gratiæ augmentum & conseruationem! Ideo enim prædicatores mittit, per quos omnes è densis infidelitatis tenebris eruantur, atque admirabili lumine fidei colustrentur; Ideò baptismum instituit per quem iustificentur, & in filios Dei, in cohæredes regni, in sponfas Spiritus sancti ascribantur; Ideò in euangelio omnibus præcipit sedulam omnium ad Christianam perfectionem spectantium obseruationem, per quam indices maius sanctitatis & gratiæ incrementum

tum acquirant, & donum perseverantiae, brauiumque gloriae impetrent.

Quanta ergo alacritate ardentissimo Christi zelo merito esset coope-
randum, impensè in salutem & perfe-
ctionem proximorum pro mensura
gratiae incumbendo! Amor, zelus a-
nimarum.

III. Et ne Apostoli, eorum successo-
rum, omnesq; ad statum Apostolicum
vocati, huius tam arduae missionis dif-
ficultate deterreantur, benignè ijs sin-
gularem assistentiam promittit: *Ecce*
ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad
consummationem saeculi: quasi diceret:
Nolite terreri, nec occurrentibus in
hac tam gloriosa expeditione difficul-
tatibus, nec ingruentibus persecutio-
num procellis, nec impendentibus pe-
riculorum fluctibus: ego Deus ve-
ster, Salvator, protector, adiutor, in-
ferni debellator, peccati & mortis tri-
umphator, ego ipse, qui possum, scio,
& volo vos iuuare, protegere & con-
seruare, vobiscum & cum omnibus,
qui vos sequentur sum, eroq; semper,
1. Per gratiam sanctificantem, vitam
vobis supernaturalem conferendo &
conseruando. 2. Per specialem pro-
uidentiam vos in omnibus dirigendo,
ccaa

couatus vestros promouendo, Ecclesiamque vniuersam, vt nunquam deficiat, gubernando & cōseruando. 3. Per realem præsentiā in Eucharistiæ Sacramento vobis me in edulium & sacrificium offerendo.

O quā paterna Domini Saluatoris nostri erga electos suos prouidentia, nec solum erga vniuersos, sed etiā erga singulos! sic enim iuxta D. Augustinum, *Vnumquemque eorum curat, tanquam solum curet, & sic omnes, tanquam singulos.* Fiducia, Gratitude, Amor.

l. Conf. 11.

VII De triplici gaudio B. V. quod habuit de Filij gloria, de feruore discipulorum, de spe similis gloria.

I. **E**Xpende, quantum fuerit gaudium, quod B. Mater hausit ex intuitu & consideratione inæstimabilis gloriæ Filij, sæpius illi cum ineffabili diuinæ claritatis fulgore apparentis, quod eò fuit maius, 1. Quod clarius cognoscebat, & viuacius apprehendebat atrocitatem dolorum, tormentorum, opprobriorum, de quibus enim, vti & de morte, peccato, inferno tam gloriose triumphantem cernebat: & sublimitatem prærogatiuarum superemi-

eminentis gloriæ, non solum animæ, sed etiam corporis, summæque in omnes creaturas potestatis, quibus illum ornatum breui ad dexteram Patris consensurum sciebat. 2. Quò intensiores dolores in passione eius senserat, vberioresque intime compassionis lacrymas profuderat. 3. Quò tenerius eum veluti gratiosissimū Filium, summum benefactorem suum, simulque Deum infinite amabilem diligebat, vicissimque se ab eo redamari sentiebat.

Quàm eximios congratulationis affectus de tanta eius exultatione frequentarit, quàm purè, intensè, constanter, insatiabiliter. Similes & tu exerce.

II. Quantum perceperit gaudium eadem B Mater ex feruore discipulorū, quos mirifice in fide confirmari, zeloque gloriæ Filij propagandæ inflammari aduertebat? quod tantò fuit maius, 1. Quò maior fuerat eiusdem dolor de eorundem in fide vacillatione, pusillanimitate, & trepidatione. 2. Quò ardentior in ea feruebat zelus animarum, quas per eos conuertendas sperabat. 3. Quò insatiabiliore aestuabat siti maioris gloriæ Filij & Dei sui,

quam

quam eorum opera per totum mundum propagatum iri praevidebat Gaudium de conuersione & profectu aliorum, zelus gloriae Dei & animarum.

III. Quantum denique eadem B. V. & mater persenserit gaudium ex certa spe similis cum Filio glorificationis non solum animae, sed etiam corporis olim participandae; quod eò fuit solidius, 1. Quò firmitus diuinæ liberalitatis incomprehensibilitatem, meritòrum Filij infinitatem, diuinarum promissionum infallibilitatē viua fide apprehendebat. 2. Quò se vehementius à filio diligi, & vberioribus caelestium charismatum prerogatiuis ornari humili grataque mente agnoscebat. Quò liquidius luculentiusque testimonium incontaminatissimae conscientiae semper circumferebat.

O quanta fiducia, quanta mentis læticia saepe suspirarit ad dilectum suum clarè videndum & quoties cupierit dissolui, & esse cum Christo? quoties exaltrabunda exclamarit. *Quando veniam & apparebo ante faciem Domini? Et: Quando in carne mea videbo Salvatorem meum?* Quoties se spe illa excitarit ad continuum in omni-sanctitate progressum, ad heroica longè supra

*Psal. 41.
Iob. 19.*

viles

vires diuinæ maiestati gratificandi desideria? Spes & desiderium cœlestis gloriæ, zelus eximiæ perfectionis sectandæ.

Dominica II. post Pascha.

2. Hebdom.
post
Pascha.

De bono Pastore. Ioan. 10.

I. **E**Xpende, quàm perfectè Christus omnes partes boni pastoris non solum verbo docuerit, sed opere ipso expleuerit, quæ in his tribus consistunt 1. Ut multos labores & ærumnas propter gregem patienter subeat. 2. Ut fortiter cum periculo vitæ eum contra incursum lupoꝝ ac ferarum defendat. 3. Ut pascat verbo, exemplo, conuenienti alimento. Has partes exemplo Christi explere satagat, qui quis aliorum curam suscipere non recusat.

I. Quantos labores vtrò in se suscipit bonus pastor, quærens à primo ingressu in mundum ouiculam perditam, id est, genus humanum, donec in Caluarix monte reperiret! quanto maiores quàm Iacob, qui de se ait: *dis nocturne astu urgebar & gelu, fugiebatq;* Gen. 32.

batq;

Isa. 53.

Heb. 4.

Isa. 40.

batq; somnus ab oculis meis! quam merito idem eum vocat Isaias virum dolorum, scientē infirmitatem. Et D. Paulus, Pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia! Quam verè compleuit illud eiusdem Iaiæ vaticinium: *Sicut pastor gregem suum pascet; in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, foetus ipse portabit?* Quàm paternè id præstitit non solum erga omnes, sed etiam erga singulos, & te tam ingratum præstat, tot tua peccata, defectus, negligentias plusquàm maternâ indulgentia tolerando? Gratitude, amor, zelus imitandi.

1. Reg. 17.

II. Quàm amanter & fortiter animam suam pro ouibus posuit, non solum eas è faucibus luporum & vrforum infernalium eripiendo, instar Davidis, sed seipsum deuorandum & mactandum offerendo; & quidem pro errantibus ouiculis, refractarijs, ingratis; non autem instar mercenarij fugiendo, cum ad mortem quæreretur, sed potius obuiam ijs procedendo.

Nec id solum præstitit semel pro omnibus moriendo, sed etiam in singulos è dentibus peccati, mortis & diaboli eruere est paratus, merita sua
illis

illis efficaciter applicando. Gratitude, amor, zelus ardua pro Christo, & animabus vicissim patiendi.

III. Quantâ demum curâ ouiculas errantes quæsiuit, inuentas paut, & fouit, & nunc insuper quærit, pascit, fouetque intimè eas amando, exemplo ijs præeundo, ad pascua vberrima eas educendo, verbo vitæ & pane Angelorum nutriendo, maiorem cuiusq; profectum in sanctitate & gratia sicutiendo?

Quanta gratia sic à Christo quæri, inueniri, pasci, foueri? quanti meriti est simile charitatis obsequium ouiculis eiusdem exhiberi? Affectus iisdem renouandi.

De beneficio aeternæ predestinationis.

II.

I. **D**Eus in se beatissimus, infinitè potens, sapiens, bonus, iustus, & misericors in certo ac definito numero certos quosdam (inter quos & te esse speras) peculiariter ab æterno, præ tam multis alijs æternùm perituris, dilexit, per præuisa Filij sui incarnandi merita in consortes beatitudinis suæ præelegit, atque ad certos gloriæ gradus, correspondentes gloriæ gradibus gratiæ in tempore acquirendis
præ-

prædestinavit: idque ex gratuita bonitate ac misericordia sua, quantumvis non paucorum ex ipsis, uti & tuos, tam graues lapsus, negligentias & ingravitudoines præuideret.

O quam inestimabilis gratia sic gratis ab æterno a Deo respici, diligi prædestinari! quanti illa meritò æstimanda, cum sit fundamentum omnium gratiarum! quanto proinde humilitatis, gratitudinis, amoris sensu par esset æternam Dei erga te tam ineffabilem, gratuitamque dilectionem reuerenter admirari, & ardentè compensare omni possibili modo conari. Gratitude, amor, zelus Deo per assiduum studium perfectionis quam perfectissimè placendi.

II. Idem Deus omnibus & singulis Electis, ex eodem gratuito æternæ dilectionis affectu, omnia, & singula media & auxilia gratiæ tam varia, tam suaui, tam efficacia à primo & minimo usque ad vltimum & maximum, ab æterno præordinavit, quibus liberè cooperando prædictos gratiæ in hac vita, & gloriæ in altera gradus sibi prædestinatos promererentur, & infallibiliter consequerentur, cum iuxta Diuum Augustinum, prædestinatio sit

*l. de bono
perseuer.*

præ-

præscientia & præparatio beneficiorū
Dei, quibus certissimè ~~liberantur~~,
quicumque liberantur.

O si admirandam illam seriem tot
mediorum & præsidiorum gratiæ, qui-
bus vnumquemque Electorum, & te,
vtri confidis, ab æterno ad certum glo-
riæ brauium deducere statuit, clarè
nunc intueri liceret, sicut in cælo
fiet; quam attonitus in admiratio-
nem, laudem, & amorem tam paternæ
prouidentia & bonitatis Dei rapere-
ris! quanto perè ad strenuè cooperan-
dum tantæ gratiæ accendereris? quàm
ardenter illud D Petri monitum: *Sat-*
agite, vt per bona opera certam vocatio- 2. Pet. 1.
nem vestram, & electionem faciatis, ex-
sequi nitereris? Gratitude, amor, ze-
lus cooperandi gratiæ, & dolor de te-
piditate nostra in his affectibus exer-
cendis.

III. Voluit porro Deus hanc tam exi-
miam p ædestinationis gratiam esse
occultam, ita, vt nemo Electorum
sciat, *utrum odio an amore dignus sit.* Eccl. 9.

I. Vt singuli in casto timore Domini
conseruentur, secum cum tremore illā
replicantes sententiam. *Nescit homo, v-*
trum odio, an amore dignus sit, exemplo Ser. 23. in
D. Bernardi, qui de illa sic ait: *Terribilis* Cant.
est lo-

est locus iste, & totius expertus quietus: totus
inhorrui, si quando in eum raptus sum.

2. Ut sollicitiores sint in peccatis com-
missis maturè expiandis, & cautiores
in iisdem deinde præcauendis, memo-
res illius Apostoli: *Firmum fundamen-
tum Dei stat habens signaculum hoc: Co-
gnouit Dominus qui sunt eius, & discedat
ab iniquitate omnis, qui nominat nomen
Domini.* 3. Ut ardentius in omni san-
ctitate & iustitia iadies proficere stu-
deant, nec in via perfectionis subsiste-
re, quasi iam comprehendissent, vn-
quam præsumant, audientes Apосто-
lum monentem: *Elegit nos in ipso ante
mundi constitutionem, ut essemus sancti, &
immaculati in conspectu eius in charitate.*
Et: *Sic currite ut comprehendatis:* 4. Ut
humillimè de seipsis sentiant, nec vlli
quantumuis pessimo, se præponere au-
deant, secum reputantes, ut rectè Di-
uus Bernardus monet, illum, cui quis
se præponit, fortè mutatione dexteræ
excelsi, in se quidem fore meliorem, in
Deo verò iam esse. 5. Ut probabilia
saltem electionis signa, cum certa ha-
bere in hac vita nequeant, in se expe-
riri satagant, cuiusmodi sunt, affici ad
verbum Dei piè fructuoseque audien-
dum. *Qui ex Deo est, verba Dei audit:*

in

in magna animi puritate absque gra-
uiori delicto Deo seruire: assidue co-
nari proficere in omni perfectione;
frequentare cum fructu & gustu spi-
rituali Sacramenta confessionis & cō-
munionis, peculiari deuotione ferri
in B. Virginem, venerabile Sacramen-
tum, Christum Crucifixum, multa bo-
na facere & mala pari, & in hoc perse-
uerare. His expensi zelus excitandus
gratum re Deo exhibendi, sollicitè
gratiæ cooperandi, in his prædictis in-
dies proficiendi.

De Beneficio Creationis.

III.

I. **D**Eus trinus & vnus sibi suffici-
entissimus, nullius creature ad-
miniculo indigens, ex nulla necessita-
te, sed ex mera liberalitate & bonitate
sua, ab æterno decreuit hominem ad
imaginem & similitudinem suam crea-
re in tempore, in hunc finem, vt Con-
ditorem suum agnosceret, amaret,
glorificaret, in præfenti sæculo, æter-
numque beatè videret, amaret, &
possideret in futuro: mundumque v-
niuersum cū omni ornatu suo in gra-
tiam eiusdem condere, cuius admini-
culo finem suum commodius conse-
queretur. Neque solum protoplastas
Y paren-

parentes, mundumque, ut in principio fide factum constat, sed omnes insuper & singulos homines, quotquot fuerunt, sunt, eruntque à primo homine usque ad nouissimum in fine mundi futurum: similiter omnes & singulas creaturas, quæ unquam fuerunt, sunt, aut future sunt, successiuè in eundem finem: & consequenter te talem, quoad dona naturæ & gratiæ, tali tempore, inter tales homines, & tot talesque creaturas in ministerium, solatium, commodumque tuum condere ab æterno decreuit.

Quàm admiranda illa Creatoris tui erga omnes, & peculiariter erga te, quem tam ingratum & repidum præsciebat, benignitas, & quidè gratuita & æterna! Quàm inæstimabilis dignatio diuinæ Maiestatis, te ab æterno tam benignè respicientis? an non meritò exclames

Psal. 8.

cum Vate regio: Domine quid est homo, quod memores eius, aut filius hominis, qui reputas eum! His consideratis eliciendus affectus gratitudinis, amoris, zeli gloriæ conditoris.

II. Deus uti ab æterno decreuit; ita in tempore condidit cælum & terram, seu mundum æthereum & elementale cum omnibus, quæ in eis sunt, in seruitium hominum, ut ijs tanquam me-

dijs,

dijs, & adminiculis finem suum vltimum consequantur, vt patet factō discursu à summis, seu ab Angelis (*qui mnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, quē hereditatem capiunt salutē*) cœlis, astris, elementis, vlque ad imas omnis generis creaturas ex elementis compositas, quæ omnes subseruiunt homini ad Conditorem agnoscendum, reuerendum, amandum, omni obsequiorum genere demerendum.

Quanta illa liberalitas Creatoris erga hominem? quanta ingratitude hominis his omnib. abutentis erga Creatorem? His expensis affectus iidem, quoad tempus præteritum renouandi, seu dolor de seordia in his affectibus exercendis excitandus.

III. Idem Deus, te, talem, quoad corpus, animam, omnia, sanum mente & corpore, bonæ complexionis, docilis ingenij, tali tempore, tali loco, talibus parentibus nasci voluit, tot tantisque naturæ & gratiæ præsidijs præ tā multis alijs dignioribus ex gratuita liberalitate sua dotauit, quibus ad perfectē diuinæ Maiestati in tali statu seruiendum commodius aprareris, & efficacius promoueris.

Luc. 12.

Quàm peculiaris & profusa illa Dei tui erga te immeritum liberalitas! quàm rara & inæstimabilis gratia! Caue ne sis ingratus. *Omni, cui multum datum est, multum requiritur ab eo.* Affectus ejusdem gratitudinis, amoris, zeli gloriæ Dei, renouandi, cum propositis practicis eos deinceps opere ipso exprimendi.

IV.

De Beneficio Conseruationis.

I. DEUS, qui te ex gratuita bonitate sua talem, quoad corpus & animam, condidit, ac talibus donis naturæ & gratiæ ornauit, ex eadem te, cum omnibus donis collatis hucusq; conseruauit, atque etiamnum conseruat, & quasi singulis momentis de nouo creat; sic enim hæc omnia à Deo dependent, vt nisi illa singulis momentis cōseruaret, in nihilum suum rediret, sicut lumen per aërem diffusum sublato corpore luminoso euanescat, necesse est.

Quot ergo sunt temporis momenta, tot noua à Deo accipit beneficia; & quidē tam multa ac varia, quàm multa & varia corporis & animæ dona tibi sunt collata. Quàm meritò ergò sequen-

quendum tibi foret consilium D. Edmundi sic monentis: *Debes semper de In speculo Deo cogitare & loqui, propter tot beneficia, Eccl. c. 3. qua tibi confert tam sollicitè, ac si totius mundi esset oblitus: Et D. Bernardi: Sicut nullum est momentum, quo homo nominatur, vel fruatur bonitate ac misericordia Dei, sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem nõ habeat in memoria. Gratitude, fiducia, amor, zelus acceptis dotibus sanctè utendi.*

II. Idem Deus te, ex eadem gratuita benignitate sua, præservavit hucusq; & nunc præservat à tot, tamq̃ue varijs miserijs corporis, & animæ; à tot periculis vitæ temporalis, & æternæ salutis; à tot tamq̃ue horrendis peccatis æternisq; supplicijs in quæ incidisses, aut incidere potuisses; & nunc incidere, aut incidere posses, nisi gratia sua gratuita te præservâisset, & nunc præletuaret. Quot ergo in alijs cernis, audis, legis, corporis, & animæ miserijs, tot agnosce tibi à Deo singulis momentis exhiberi misericordias. Gratitude, humilitas.

III. Similiter omnes idem Deus creaturas, quas in servitium, commodum, solatiumq̃ue tuum condidit, aut nunc producit, ex eodem paterno affectu

conseruaret hucusque, & conseruat, cum singulis momentis, quoad esse, posse, operari ab ipso depēdeat. Quot ergo sunt eiusmodi creaturæ, quas singulis momentis in gratiam cui Deus conseruat, tot nouis benedictionibus dulcedinis suæ singulis momentis ex gratuita beneficentia sua te coronat. Gratitude, zelus sanctè vtendi creaturis ad gloriam Creatoris.

7.

De Beneficio Redemptionis.

I. **F**ilius Dei, ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, ab æterno, præuiso voluntario lapsu Adæ, decreuit genus humanum perditum reparare, atque ex durissima peccati, mortis, diaboli seruitute liberare, modo ad eò miro, arduo, sublimi, quo fide constat esse factum: videlicet omnia, & singula illa 33. & amplius annis faciendo, dicendo, patiendo, quæ fecit, dixit, passus est, & quidem pro omnibus, & singulis, quos præuidebat fore tam ingratos, decreuit offerre æterno Patri omnia & singula sua merita; pro Electis verò (in quorum numero te quoque censeri speras) peculiariter & efficaciter ad certum

tum gratiæ & gloriæ gradum obtinendum: idque ex gratuita misericordiâ & bonitate sua, in hunc finem, vt sic gloriam Patris excellentius promoueret, mundoq; luculentius diuitias bonitatis, misericordiæ, & iustitiæ diuinæ manifestaret: suauius nos ad imitationem suæ eximiæ perfectionis & sanctitatis prouocaret: gratiamque necessariam nobis efficacius impetraret.

Quam immensa illa, sublimis, longaua, incomprehensibilis misericordia, liberalitas, charitas! qualem illa vicissim à te exigit gratitudinem, amorem, zelum multa ardua faciendi & patiendi pro amore & gloria talis Saluatoris? His expensis hi insinuati affectus in præsentis exercendi.

II. Tempore ab æternitate prædefinito dignatus est idem Filius Dei operari salutem nostram in medio terræ, factus homo passibilis, tantum lacrymarum, sudoris & sanguinis profundendo; tot diuinissimos actus eximiarum virtutum frequentando; tot labores, molestias, ærumnas, vltiò subeundo; tot persecutiones, contumelias, cruciatus tolerando, mortemque ipsam ignominiosissimam & diuissi-

D. Bern. mam oppetendo. *Qui ultra debuit facere, & non fecit? illuminauit coecos, redi-
da pentec.* dit erroneos, reconciliauit rancos, iustificauit
impios, triginta & tribus annis super terram
uisus, cum hominibus conuersatus, pro ho-
minibus mortuus, qui & Cherubim & Se-
raphim & omnibus Angelicis virtutibus
dixit, & facti sunt, cui subest, cum volue-
rit, omnia posse.

Ibidem. His expensis an non
merito exclames cum D. Bernardo: O
duri, & induraci, & obdurati filij Adam,
quos non emollit tanta benignitas, tanta
flamma, tam ingens ardor amoris, tam ve-
hemens amator, qui pro uilibus sarcinulis
tam pretiosas merces expendit! Affectus
ijdem. quoad præteritum tempus, eli-
ciendi, seu dolor de torpore in ijs eli-
ciendis excitandus.

III. Idem Filius Dei, sicut singulis
electis, & tibi, uti confidis, omnia sua
merita peculiariter applicare ab æter-
no statuit, & in tempore, quo in terris
mortalis inter mortales uersatus, opus
redemptionis nostræ expleuit, appli-
care dignatus est, ex eadem gratuita
bonitate sua; sic hucusque tibi à uitæ
exordio applicauit, nunc applicat, ac
deinceps applicare est paratus, tot pe-
culiaria gratiæ præsidia, intuitu suorum
meritorum tibi suppeditando, à tot
peris

periculis, miserijs, peccatis te præferuando, tot extraordinarijs charismatis præueniendo, vti in præsens vsq; momentum expertus es & experiris.

Quam peculiari igitur modo teneris te gratum tantæ eius liberalitati exhibere, redamare tantam eius bonitatem, recompensare zelo gloriæ eius promouendæ tantam charitatem? Affectus ijdem renouandi quoad futurum tempus, cum propositis practi-
cis.

*De beneficio vocationis ad veram
fidem.*

VI.

I. **D**Eus, qui omnia, quæcunq; vult, facit in cælo, & in terra, te, prætor millenis myriadibus hominum ante & post aduentum Christi ob defectum luminis, veræ fidei æternum pereuntium, statuit ab æterno ad orthodoxam fidem perducere, sanctæq; Ecclesiæ suæ filijs aggregare, ex paterno gratuita dilectionis affectu, & speciali meritorum Saluatoris nostri intuitu, in hunc finem, vt viuum mystici corporis Ecclesiæ membrum efficereris in terris, olimque gloriosum
Y s eius-

eiusdem corporis Ecclesie triumphantis in caelis.

Quam specialis illa Dei tui erga te, talem, tam tepidum, ingratum, benignitas, & quidem ab aeterno! quam specialem vicissim à te meritò exigit gratitudinis, amoris, zeli vitam tam nobilis corporis membro dignam instituendi affectum, & quidem continuum, ac deinceps saltem, quoad pia desideria aeternum! His consideratis possunt praedicti affectus exerceri in praesenti.

II. Ideò idem Deus pro benignitate sua plusquam paterna providit, ut praetam multis alijs, quibus haec gratia non contigit, tali loco inter Christianos, tali tempore, quo fides vera per mundum propagata, talibus parentibus orthodoxis nascereris, ac deinceps talibus fidei magistris imbuendus committereris, ut non solum per lauacrum regenerationis in sanguine Christi dealbareris, sed ad clariorem etiam mysteriorum fidei, & rerum aeternam salutem, moresque Christiano homine dignos concernentiam cognitionem suaviter perducereris: idque ex eadem gratuita dilectione in eundem suam.

Qua-

O qualis illa gratia eiusdem Deitui
 sic de tenebris te vocantis in admirabile lu- *De Leo*
 men suum ! His expensis ijdem affe- *Ser. 1. de*
 ctus reperendi quoad tempus præteri- *natiuitatis.*
 tum, seu contritio de nostro torpore
 in his eliciendis excitanda.

III. Nec hoc contentus idem aman-
 tissimus Pater te insuper firmum ac
 stabilem in fide suscepta hucusque
 confirmauit, ab erroribus vniuersis,
 & grauioribus contra fidem tentatio-
 nibus præseruauit, gratiamque habi-
 tum fidei augendi, vitamque profes-
 sioni tam sanctæ fidei congruentem
 instituendi copiosam suppeditauit, ex
 eodem gratuito affectu ; in finem tam
 sublimem, vt inter sanctiora Ecclesiæ
 membra in via, & gloriosiora in patria
 censi mereris.

Agnosce, ô Christiane, dignita-
 tem tuam, & diuinæ consors factus na-
 turæ, per regenerationem in Christo *De Leo*
 gratiam sanctificantem tibi gratis infusam, *Ser. 1. de*
 noli in veterem vilitatem degeneri *natiuitatis.*
 conuersatione redire. Affectus ijdem
 quoad tempus futurum exercendi ;
 seu formanda desideria ac propoſita
 eos opere ipso exhibendi.

VII.

De Beneficio Iustificationis.

I. **D**EUS, in cuius manu sunt corda omnium filiorum hominum, sicut lutum in manu figuli formantis ex eodem luto quædam vasa in honorem, quædam in contumeliam; te, uti ab æterno voluit, præ tot millenis alijs Christianis, qui vel susceptam fidem eiurarunt, aut in hæreses aliã; gravia scelerã prolapsi sunt, nec vnquam, iusto Dei iudicio, resipuerunt, ideoque æternum perierunt; te, inquam, quantumvis indignum toties in hæc & illa peccata lapsum misericorditer erexit, in gratiam, velut prodigum filium, recepit, stolamq; innocentia baptismalis perditam aut defædatam, tibi restituit; cum semel spontè à Deo aversus, nunquam fuisses ad eundem iterum conuersus, nisi ille te respexisset, reuocasset, retraxisset in charitate perpetua, miserens tui.

Quò miseriarum deuenisses, si tibi gratuita gratia defuisset eius, qui erigit omnes elisos. Et de quo Veritas ait: *Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum!* Humilitas, gratitudo, amor, zelus peccata compensandi, feruor spiritûs.

II. Nec

II. Nec solum lapsum toties te erexit, sæpiusque relapsurum tenuit, atque à pluribus & grauioribus casibus præseruauit, sed etiam semel receptum in gratiam tot annis in statu gratiæ conseruauit; aut certè, si culpa tua relapsus es, conseruare paratus fuit, ac deinceps est paratus; tot occasiones relabendi semouendo; tot præsidijs gratiæ te præmuniendo; tot media in statu gratiæ perseuerandi subministrando. O quàm rara & hæc gratia tibi præ tam multis inter continuas peccandi illecebras, labendi occasiones, & salutis discrimina iugiter naufragantibus, & quidem gratis est exhibita; eo fine, ut velut domesticus Dei & hæres regni factus, in spe ineffabiliter beatorum delicias prægustare incipias in hac uita, & iisdem plenius perfruaris in futura. Affectus iisdem repetendi.

III. Insuper te, præ tam multis alijs, non solum à grauioribus ruinis hucusque præseruat; sed etiam tot inspirationibus, impulsibus, alijsque auxilijs gratiæ extraordinarijs tam suauiter & efficaciter ad perfectiora semper extimulat; ad continuum in uia perfectionis progressum faciendum excitat; ad donum perseuerantiæ, & brauium.

uium excellentioris gloriæ apprehendendum inuitat! quando illa rarior gratia, quando paucioribus, & quidem te gratioribus & dignioribus concessa! in quam miserabili statu fuisses, esses, ac deinceps fores, si tibi tot incitamenta, tot exempla, tot gratiæ præsidia, quibus abundas, defuissent, deessent, aut deinceps defutura essent! His expensis ijdem ferè affectus cum propositis practicis strenuè tantæ gratiæ cooperandi possunt subiungi.

3. Hebdom.
post
Pascha.
I.

Dominica III. post Pascha.

De modico. Ioan. 16.

I. **M**odicum, & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.
Quam tenero paterni amoris affectu pius Pater mœstis filijs prædicat breuem suum ab ijs discessum, primum quidem per passionem, postmodum porro per ascensionem: & celerem reditum, primum per resurrectionem, deinde per felicem eorum ex hac vita ad se translationem. Quod rotum tempus intermedium cum omnibus intercalaboribus, persecutionibus & cru-

cia-

ciatibus perferendis modicum appellat (& verè modicum est respectu beatæ æternitatis, & æternorum gaudiorum ipsis in cælo præparatorum) vt sic eos deiectos erigat, atque ad amorem crucis inflammet. Amor tam amabilis Patris, & resignatio ad omnia, quæ ad crucem eius pertinent, cum spe præmiorum promissorum.

II. Cum discipuli id non caperent, proindeque interrogare vellent, quid sibi vellet hoc *modicum*, benignè eos præueniens, clariùs, quod dixerat, explicat, similiq; mulieris parturientis declarat: *Amen dico vobis, plorabitis & flebitis vris, mundus autem gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Quàm felix piorum, suas proximorumque ærumnas, amore Dei in hac valle lacrymarum deflentium tristitia & tribulatio, quam æterna breui consequentur lætitia & consolatio! Quis crucem horreat, quam oleo talis lætitiæ vinctam videt? Affectus ijdem.

III. Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Quis hoc tam amplum æternæ Veritatis promissum expendens nō exclamet cum Apostolo: *Non Rom. 8.*

June

sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, qua reuelabitur in nobis.

Et: id, quod in presenti est momentaneum.

2. Cor. 4. *Et leuis tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis: Affectus iidem renouandi.*

II. De Beneficio vocationis ad Religiosum, aliumue piûm statum.

I. **D**Eus vniuersalis omnium prouisor, singulis Electis ab æterno idonea media æternæ salutis incerto aliquo statu obtinendæ prouidens, tibi præ tot alijs, in tali statu Religioso, aut alio quouis pio, ad quem te vocare statuit, tam suauia, & efficacia gratiæ & gloriæ promerendæ præordinauit, sicut hucusque experiris: idque ex gratuita bonitate sua, ob fines tam sublimes, vt in carne mortali Angelicam vitam in præsentis sæculo æmulareris, eximium sanctitatis & gratiæ gradum consequereris, atque in futuro illustriorem gloriæ coronâ inter præcipuos cœlestis Ierusalem ciues promerereris.

O quam admiranda & extraordinaria illa Dei tui erga te dilectio! Verè

non

non fecit taliter omni nationi quàm pau- *Pfal. 147.*
cis hanc securissimam & compendi-
osissimam ad cælum viam prædefiniuit
is, qui mille vijs Electos suos ad se tra-
hit? Gratiudo, amor Dei vocantis, &
gratiæ vocationis.

II. Ex eadem gratuita misericordia
sua, ob eodẽm fines, te, tam indignũ,
tam parum idoneum, quoad dona na-
turæ & gratiæ, tam ingratum, præ tot
alijs dignioribus, innocentioribus,
donis naturæ & gratiæ eminentiori-
bus, & gratioribus, ad talem statum,
cuius tam sublimis finis, in quo tam
præclara eximiæ sanctitatis consequẽ-
da media reperiuntur, tam suaviter
& efficaciter vocavit, allexit, traxit:
idque vel à prima pueritia, vel post-
modum eum esses indignissimus tanta
gratia; sic intellectum illuminando,
& affectum inflammando, vt agnosce-
res falsam mundi vanitatem, & veram
religiosi status felicitatem, illam fu-
giendam, hanc amplectendam cense-
res, req; ipsa id quàm primum posses,
exsequi optares.

Quàm humili & grato animo æquũ
foret te iugiter hanc tantam Dei, tam
miris, suauibus & efficacibus modis te
ad se trahentis dignationem suspicere,
& ve-

Isa. 41.

& venerari, & quidem tam gratuitam, non ex merito tuo, sed mero beneplacito suo, iuxta illud Isaia: *Quis suscitavit ab Oriente iustum, vocavit eum, ut sequeretur se? Ego Dominus, ego primus & novissimus, ego sum.* Affectus ijdem renouandi cum zelo gratiæ vocationis cooperandi.

III. Insuper ex eadem gratuita misericordia sua, te tali ætate, tali tempore, talibus naturæ & gratiæ præsidijs instructum, è periculoso mundi pelago ad tranquillū hunc religionis portum perducere, dilectissimisque filijs suis aggregare dignatus est, præ tam multis alijs, qui vel ob defectum valetudinis, ingenij, aliorumque talentorum ab hac gratia exclusi fuerunt: vel ob inordinatum erga parentes & consanguineos affectum, ob mundi carnisque blandientis illecebras, ob pravorum sociorum seductiones eadem vocationis gratia, culpa sua exciderunt.

Matt. 7. O quanta felicitas inter paucos illos inuenire arctam viam, quæ ducit
Matt. 20. ad vitam! paucis illis accenseri inter multos vocatos electis! Affectus ijdem cum propositis practicis subiungendi.

De

De dignitate Religiosa vocationis. III.

I. **D**Eus vocando te ad Religionem ad maximam euexit in hac vita dignitatem. 1. E tenebris Ægyptiacis *Exod. 10.* mundi huius transferendo in terram Gessen, in admirabile lumen suum. 2. E seruitute mundi, peccati & diaboli te vindicando in libertatem filiorum Dei. 3. E terra & stercore erigendo, & inter principes populi sui collocando; e sterquilinio, cœno, inferno, in solium, paradysum, cœlum euehendo. 4. Ex seruo rurali efficiendo te aulicum intimum, ex vile mancipio, filium, ex subdito perduelli, consortem regni, ex alienigena fratrem, in spiritualem matrem Christi.

Rom. 8.
Psal. 112.
D. Bern.
Serm. 61.
in Cant.
Matt. 12.

En quanta fecit Dominus animæ tuæ, & quidem gratis! Ecquas pro tanta gratia referes gratias? qualem tanto amoris tui, tanto zelo te exaltandi rependes amorem, zelumque gloriam eius vicissim promouendi? Gratitude, amor, zelus gloriæ Dei.

II. Filius Dei per eandem gratiam vocationis paratus est te in extremo die iudicij asciscere in afflorem suum, vt in communi illa trepidatione

omnium iudicandotū inter Apostoli-
ce perfectionis sectatores, non tanquā
iudicandus in humili loco cū tremore
assistas, sed tanquam simul iudicatu-
rus in sublimi throno secum cōsideas,
iuxta illud eiusdem promissum: *Amen*
Matt. 19: dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia,
& secuti estis me, in regeneratione, cum se-
derit Filius hominis in sede Maiestatis sue,
sedebitis & vos super sedes, iudicantes duo-
decim tribus Israel. quod de omnibus
amore Christi omnia relinquentibus,
iuxta D. Hieronymum, Vener. Bedam
aliosque PP. intelligendum. Grati-
tudo, zelus gratiæ vocationis constan-
ter cooperandi in studio eximie per-
fectionis.

III. In cœlo similiter paratus est te
per eandem gratiam vocationis eue-
here ad insignem glorię sublimitatem,
quam poteris promereri, si tantæ gra-
tiæ strenuè volueris cooperari, per ac-
curatam votorum & regularum obser-
vationem, per continuam mortifica-
tionem, intimamque cum Deo fami-
liaritatem: quis porro sublimitatem
gloriæ illius dignè æstimabit? Si de
minimi Sancti minima gloria verè di-
ctum est illud ab Isaia: *Oculus non vi-*
dit Deus absque te, qua preparasti expectan-
te.

Isa. 64.

si te. qualis erit illa gloria præparata liberto, cohæredi, affiliori, fratri, matri spirituali Christi, tantis tot annorū meritis, per tot heroicis virtutum actus, per tot illustres de carne, mundo, & diabolo reportatas victorias accumulatis respondens?

Qualem zelum eximie perfectionis, iuxta gratiam vocationis in se aliisque promouendæ, vel sola huius recordatio meritò deberet excitare? Affectus ijdem magis intendendi.

De utilitate religiosa vocationis.

VI.

I. **D**EUS per gratiam vocationis te, quantumuis immerentem, præ tot alijs partim præseruauit, partim liberauit à tot malis spiritualibus, quibus abundat mundus totus in maligno positus, vti sunt: 1. Peccata peccatorum innumera, praua exempla, mundi blandimenta, carnis illecebræ. 2. Miserabilis seruitus mundi, seu concupiscentiarum, opum, voluptatum, honorum. 3. Pericula æternæ damnationis, ob difficultatem ex tot laqueis se extricandi.

Agnosce ergò, suspice, & venerare hanc infinitam Dei ergate benignitatem,

tatem, quã te è procelloso mari mundi huius, in securum Religionis portum; è Sodomæo incendio, velut alterum Loth, in excelsum perfectionis montem, è fœtido illo fluuio D. Anselmo diuinitus ostenso, cui mundi amatores innatant, in amœnissimum Paradisum; è fornace Babylonica cum tribus pueris; & ex lacu Leonum cum Daniele in regium palatium transferre est dignatus. Humilitas, gratitudo, amor, zelus respondendi gratiæ vocationis.

II. Per eandem gratiam vocationis te exemit à multis miserijs & ærumnis corporalibus huius vitæ, vti sunt assidua curæ sibi familiæque suæ res ad corporis sustentationem necessarias acquirendi: opes acquisitas conseruandi, augendi que, honores & officia prestandi; magnatum aliorum que, quorum ope indiget, gratiam aucupandi. Quale priuilegium est his omnibus triticis expediti per vota religiosa, quibus Deo se totum homo mancipat, à quo promissum centuplū securus expectat? Gratitudo, zelus vota perfectè obseruandi.

III. Similiter in fine vitæ per eandem gratiam, si illi seridè constanterq;

cooperari libuerit, paratus est, te immensem reddere. 1. A cura testamenti condendi, posteris amicisque in futurum prouidendi, per omnimodam omnium rerum iam dudum ante factam abdicationem. 2. Ab horrore mortis, per voluntariam tui ipsius iam dudum tibi mundoque mortui in manus diuinæ prouidentiae, cui omnia uiuunt, traditionem. 3. A timore gehennæ, per accuratam generalem de tota vita initio ingressus factam confessionem; per assiduam commissorum in sæculo peccatorum, & quotidianorum in religione defectuum expiationem; per deuotam sacramentorum, actuum contritionis, amoris, aliarumque virtutum, ac piorum exercitiorum frequentationem.

Annon & hoc tale est priuilegium tibi tam vili terræ vermiculo à Rege Regum gratis concessum, quod omnibus Regum & principum huius sæculi priuilegijs longè sit anteponeandum? Gratitude, Humilitas, zelus constans in studio eximiae perfectio-

nis.

De

V. De Iucunditate religioſe vocationis.

I. **D**Eus vocando te ad talem Religionis paradifum, dignatus te aſciscere in conſortium ſummae tranquillitatis, iucunditatis, ac lætitiæ, qualis in hoc exilio haberi poteſt, in timorum amicorum & dilectiſſimorum filiorum ſuorum; quam percipiunt ex certa ſpe plenariæ remiſſionis omniũ peccatorum in ſæculari vita admiſſorum per ingreſſum in religionem & votorum emiſſionem; ex teſtimonio conſcientiæ nullius grauioris culpe ſibi conſciæ; ex carentiâ omnium ſollicitudinum; ex ſuaui directione Superiorum; ex plena reſignatione ſui in manus diuinæ providentiæ; ex centuplo conſolationum, quas ſubinde feruentibus ſeruis ſuis communicare ſolet diuina Bonitas.

Quam longè hæc mentis ſerenitas excedit omnes mundi delicias! quanti ergò meritò hæc æſtimanda, quam feruenter quærenda, quam ſollicitè conſeruanda per frequentationem aſtutum Humilitatis, Gratiitudinis, amoris, per ſtrenuam cooperationem in continuo ſtudio eximiæ perfectionis?

nis? Gratitude, zelus cooperandi gratia vocationis.

II. In hora mortis per eandem vocationis gratiam offert tibi solidissimū solatium feruidis religiosis impertiri consuetum, quod percipiunt, 1. ex certa spe non solum certò euolandi aliquando ad cœlum, sed etiam euadendi, vel omninò, vel saltem breui purgatorium, ob prædicta priuilegia, & Christi promissa; ob tot annorum pœnitentiâ expiata peccata, & tanta, cum diuinâ gratiâ, accumulata merita; ob communicationem totius ordinis satisfactionum, & ob bonorum operum; ob preces & suffragia Fratrum.

2. Ex peculiari assistentiâ Matris misericordiæ, quam in hora mortis experiantur illi, quicumque illam deuotè colere, studioseque æmulari in vita conantur. 3. Ex peculiari confidentiâ erga infinitam Dei bonitatem, & plusquàm paternam ac maternam sollicitudinem erga eos, qui se illi totos in vita consecrarunt.

Quàm felix is tunc erit, qui cum D. Paulo dicere poterit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem seruavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die*

2. Tim. 4.

Z

die

Psal. 118. die iustus iudex. Et cum Dauide: Tuus

Psal. 30. sum ego, saluum me fac. In te, Domine, speraui, non confundar in aeternum? Talis esse poteris, si humili, grato, constantique animo Deo iuxta gratiam vocationis, usque ad mortem seruire studueris. Gratitude, constantia in seruire proficiendi.

III. Post hanc vitam, adminiculo huius gratiae vocationis, paratus est tibi communicare ineffabile gaudium, peculiaribus amicis suis repositum, quod aeternum percipient, 1. Ex fruitione amplioris gloriae essentialis meritis singulorum proportionatae. 2. Ex adeptione maioris gloriae accidentalium animae & corporis, non raro etiam aureolarum, vel Virginum, vel Martyrum, vel Doctorum, vel aliquo saltem modo horum omnium ob tot heroicas mundi, diaboli, sui ipsorum victorias, ob tot sublimes praecipuarum virtutum actus frequentatos. 3. Ex participatione peculiaris gaudij ex consortio tot sociorum corpore & animo beatorum, maximeque tot operum conuerforum, vel in via perfectionis promotorum in ipsos redundantis. Horum omnium bonorum & gaudiorum bonus est gratia vocationis, quam tunc pri-

ptimum dignè estimare poteris, quando his perfrueris. Affectus iisdem renouandi.

*De beneficio peculiaris Dei assistentia, VI.
& finalis perseuerantia.*

I. **R**euoca in memoriam præcipua peculiaris diuinæ prouidentia & amoris indicia, tibi à puero vsque ad electum, arreptumq; certum hunc religiosum, aut pium statum exhibita, considerando, à quot, quantisque corporis, animæ, & fortunæ malis; à quot vitæ & salutis periculis te, præ tot alijs cœuis tuis, Deus præseruârit, aut liberarit; non permittendo te nasci parentibus infamibus, non mancum, non hæreditarijs morbis infectum, nõ seduci in tenera ætate, non inquinari grauioribus flagitijs. E contra quot naturæ & gratiæ donis te peculiariter dotârit, largiendo tibi firmam corporis valetudinem, ac decentem formam, commodam complexionem, diuino seruitio aptam, ingenium docile, ingenuam indolem, propensionem ad omnem honestatem: curando te honestè educari, disciplinis erudiri, pietate simul imbui: tam suauiter, & ef-

ficaciter tot pijs inspirationibus, intellectus illustrationibus & voluntatis impulsibus, ab amore mundi & vanitatum eius abstrahendo, ad amorem sui pellendo, ad horrorem peccatorum & fugam periculorum salutis impellendo, ad amorem talis Religiosi aut pij status invitando, ac demum his illisve veluti funiculis charitatis ad se suumque seruitium trahendo.

Qualem hæc singula tam singularis Dei providentiæ & amoris erga te monumenta in vicem à te exigunt gratiarum actionem, laudationem & dilectionem tantæ eiusdem bonitatis, misericordiæ, liberalitatis! zelus peculiariter te gratum Deo exhibendi, eum redamandi & omni modo glorificandi.

II. Tot ac tanta peculiaris eiusdem assistentiæ, & plusquam paternæ providentiæ tibi specialiter, præ tot alijs eiusdem professionis ac conditionis, circa & post ingressum in religiosum, aliumve pium statum exhibita signa in memoriam reuocata pondera; expendendo, quot impedimentis, tentationibus, difficultatibus, periculis, aliisque miseris benignè te præservarit, aut misericorditer liberarit, ne, ut multis contingit, in divino seruitio

an-

amplectendo præpedireris, aut in studio perfectionis iam inchoato retardareris, aut omninò à pio proposito, quouis modo, dimouereris: quot insuper peculiaris gratiæ præsidij te còtra tentationum impetus munierit, quot extraordinarijs fauoribus in studio perfectionis languentem fouerit, quot internis stimulis ad alacrius progrediendum exstimularit, quot diuinis solatijs ad perseverandũ animarit.

His expensis an non meritò admirandus exclames cum Dauide: *Qui 3. Reg. 71. sum ego, aut qua est domus patris mei quia deduxisti me huc usque!* idque tam suaui-ter, efficaciter, mirabiliter ex gratuita bonitate tuâ! Affectus ijdem renouandi.

III. Demum expende, quàm suauia & efficacia media in gratia & sanctitate indies proficiendi, pretiosumque finalis perseverantię donum assequendi tibi etiamnum offerat, ac porrò offerre paratus sit, te peculiari assistentia suâ in sancto proposito magis magisque confirmando; heroica desideria eximia perfectionis augendo; zelũ multatã ardua amore eius faciendi & patienti, omne eius beneplacitum amplectendi & exsequendi vehementius in-

Z. 3.

flam.

flammando: cumque filialis fiducia & amoris affectum tibi impertiendo, ut cum regio Propheta dicere audeas:
Psal. 72. Tenuisti manum dexteram meam, & in
Rom. 8. voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quid enim mihi est in caelo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum? Et cum D. Paulo: Quis nos separabit à charitate Christi? Gratitude, amor, filialis confidentia, & constans feruor proficiendi usque ad mortem.

VII.

De Beneficio Glorificationis.

I. **E**Xpende, quàm incomprehensibili aeternae dilectionis affectu Deus te, præ tot alijs, non modò ab aeterno ad inestimabiles diuitiarum ac deliciarum gloriae ac beatitudinis suae thesauros secum participandos prædestinavit; sed omnia etiam hucusque recensita beneficia tam generalia, quàm specialia in eundem finem tibi contulerit, nunc conferat, ac porro conferre paratus sit.

En quanto paratior est Deus suam tecum quantumuis indigno communicare gloriam, & quidem aeternam in caelis, quàm tu paratior sis eiusdem,

dem, pro modulo tuo, promouere gloriam, & quidem exiguo tempore, in terris! admiratio diuinæ liberalitatis, gratitudo, zelus Deum perfectius amandi, & glorificandi, per feruens studium perfectionis, in se alijsque promouendæ.

II. Quàm paratus sit Deus animæ tuæ è corpore migraturæ, si in hac vita contractas peccatorum maculas, quoad culpam & pœnam plenè expiarit, quamprimùm impertiri beatitudinem essentialem, quæ in beatifica visione, amore & fruitione Dei consistit, & quidem in excellenti gradu, cum alijs accidentalibus gaudijs, & extraordinarijs aureolis secundum mensuram tuorum meritorum. Et quàm arden- ter desideret te feruentiore studio omnimodæ perfectionis sublimiorem gloriam promereri, eamq; statim post mortem, absque purgatorio indipisci. Si hoc, vt par est, profundè expenderes, & crebriùs memoriâ versares, quanto feruentior esses in leuissimis etiam maculis eluendis, ac deinceps cauendis, in assiduo conatu, in sanctitate & gratiâ proficiendi? Affectus ijdem ferè repetendi.

III. Quàm demùm paratus sit Deus

etiam corpori tuo, si strenuè se in hac
vita diuino eius impenderit obsequio,
rectæque rationis obsecundarit impe-
tio, in communi resurrectione iusto-
rum conferre dotes gloriosi corporis,
peculiaresque omnium sensuum oble-
stationes; & quidem eximias, exa-
mussim meritis tuis responsuras. Et
quàm auidè cupiat, vt carnem tuam
cum vitijs & concupiscentijs virilius
crucifigendo, plura & grauiora amore
eius faciendo, & tolerando sublimio-
rem corporis quoque gloriam prome-
rearis. Quid intuitu huius gloriæ ni-
mis laboriosum, durum, asperumvè
videri posset, nisi amor proprius oeu-
los mentis excœcaret? Gratitude, fer-
uor corpus mortificandi, multum a-
more Dei laborandi.

4. Heb-
dom.
post
Pascha.
I.

Dominica I V. post Pascha.

*De promissione Spiritus sancti, eius-
que officijs.*

Vado ad eum qui misit me. Ioan. 16.

I. **E**Xpende, quàm paternè Christus
discipulos suos tristes ex prædi-
catio-

atione sui ab ijs discessus, mox q̄ pre-
uidens passione sua magis etiam con-
tristandos consoletur, atque in spem
erigat gloriosæ resurrectionis secum
olim participandæ, & copiosæ gratiæ
Spiritus sancti, quâ potiri eos posse
negat, nisi ipse corporalem suam præ-
sentiam & consolationem sensibilem
quam inde hauriebant, ijs subtrahat.

Quanto ergo studio cor tuum ab o-
mni inordinata affectione erga crea-
turas erit mundandum, omni que ter-
renâ consolatione euacuandum, si v-
beri Spiritus sancti gratiâ, & pretioso
diuinæ consolationis balsamo speras
replendum. Fuga terrenarum conso-
lationum, mortificatio strenua omni-
um inordinatarum affectionum.

II. *Et cum venerit ille arguet mundum
de peccato, de iustitia, & de iudicio* Con-
sidera quomodo Spiritus sanctus hæc
tria per Apostolos præstiterit, 1. de
peccato arguendo mundum, quod nō
crediderit in eum, sine quo nulla sa-
lus speranda, cum non sit aliud nomē
sub cælo, in quo nos oporteat saluos
fieri. 2. De iustitia, efficacibus ratio-
nibus ostendendo Christum, qui velut

Act. 17. 4.

centem, quia à Patre receptus est in cœlum; nec esse veram iustitiam ullam, nisi per Christum verum Redemptorem mundi. 3. De iudicio, convincendo mundum esse inexcusabilē, si se à diabolo iam iudicato, & ligato vinci sinat, simulq; ostendendo Christum esse iudicem viuorum & mortuorum. Quomodo item similia præster in cordibus iustorum, 1. Summum odium peccati omnis ijs ingenerando, 2. Magnum desiderium omnis innocentia, iustitię & sanctitatis instillādo. 3. Crebram seriamq; futuri iudicij memoriam ingerendo, insuper feruentē hæc eadem alijs verbo & exemplo inculcandi zelum inspirando. Si similes Spiritus sancti inspirationes sentis, reuerter excipe, & sollicitè cooperare, ne cōtristes Spiritū S. Dei, in quo signatus es, à quo tam suaviter & efficaciter inuitaris, & traheris ad culmē perfectionis, atque vt alios tecum trahat, impelleris. Gratitude, zelus proficiendi in omni perfectione, aliosq; in eadem promouendi.

III. *Adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modò.* Quanta benignitas Saluatoris, tam benignè discipulo-

pulorum imbecillitati condescenden-
tis, non supra vires monitis & præ-
ceptis eos onerantis, insuper iugem
Spiritus sancti directionem in omni-
bus ijs promittentis! O quàm verè
dixit: *Iugum meum suauè est, & onus* *Matt. II.*
meum leue! Quàm suauè & facilè a-
manti, seruire tam suauì & misericor-
di Domino! quam durum & intole-
rabile seruire mundo, carni, diabolo?
Quis sapiens, & intelliget hæc? *Psal. 106.*

De potentia Dei.

II.

I. **E**Xpende magnitudinem poten-
tiæ Dei secundum quatuor di-
mensiones, 1. Quàm lata seu immen-
sa sit, quâ potest facere quicquid non
implicat contradictionem, quicquid
possibile est; & consequenter plures.
& perfectiores creaturas, imò mun-
dos absque determinato numero in
infinitum: & circa res creatas facere
potest, quicquid libuerit, cû eius velle
sit posse. 2. Quàm longa sit, durans ab
æterno in æternum, indefectibilis.
3. Quàm sublimis, seu infinitè perfe-
cta, quâ ex se omnia potest, absque
vlllo labore, absque vlllo adminiculo.
Z 6 4. Quàm

4. Quàm profunda sit, seu incomprehensibilis, cum Deus sit potens per essentiam, & potentia eius realiter idem sit cum essentia, ac proinde non queat ab vlla creaturâ finitâ, sed à solo Deo comprehendi. Quantum ergò hæc diuina potentia excedit omnem potentiam creatam & possibilem creari, quæ tot habet admixtas imperfectiones: vt, quod limitata sit, & absque admiculo aliorum nihil possit, defectibilis sit, accidentalis, ac finitæ perfectionis sit, ac proinde possit à creaturâ comprehendi!

Quantò porrò eminentiùs est in diuina potentia, quicquid perfectionis in creata potentia reperiri, aut concipi potest? Quàm meritò exclamat igitur Sapiens: *Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia illius. Glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis, superualebit adhuc, & admirabilem magnificentiam eius.*

Quàm æquum foret tam potentem Dominum glorificare, fauendo ei hanc tantam potentiam, atq; de ea exultando: reuereri illum, cauendo minimas eius offensas: amare eundem, desiderando amplecti & exsequi omne eius beneplacitum, multa que facere & pati

amo-

amore eius, qui tam potens est ad remunerandum? His expensis subiungendi insinuat affectus gaudij de potentia Dei, filialis timoris ac reuerentia, fiducia, amoris, ac zeli glorie eius.

II. Quam luculenter hanc infinitam potentiam suam, nobis in tempore manifestant, 1. In operibus naturæ, vt in creatione & conseruatione mundi, omnium que quæ in eo sunt, Angelorum, hominum, cælorum, elementorum, totque ex elementis mixtorum corporum, quæ omnia quam eximia sunt diuinæ potentia monumenta?

2. In operibus gratia, vt in opere redemptionis, per incarnationem Verbi imperium diaboli destruendo in opere vocationis ad Adem, per pauculos rudes Apostolos mundum conuertendo: in opere iustificationis, tot, tam admirandas animarum conuersiones in dies efficiendo: in opere vocationis ad religionem, tot, tam potenter ab amore mundi ad dulce suum iugum amplectendum trahendo: Et quidem hæc omnia potentia suæ miracula manifestare nobis dignatus est amore nostri, vt ex his illū clariùs agnoscerem⁹, feruentius amarem⁹, perfectius illum debitis obsequijs glorificarem⁹, ad il-

lustriorem nobis gloriæ coronam in cœlo promerendam. His ponderatis affectus supra positi repetendi.

III. Quàm demum eminenter suam eandem omnipotentiam Deus nobis declaraturus sit in operibus gloriæ; videlicet in glorificatione Angelorum, & animarum, intellectum & voluntatem finitam & creatam sic eleuando, vt increatum & infinitum Deum beatè videant, ament, possideant: in glorificatione corporum beatorum, in gloriosa resurrectione illa eadem numero è puluere terræ resuscitando, dotibus gloriosis exornando, corpori gloriosissimo Filij configurando, ineffabilibus delicijs omnes sensus perfundendo: idque æternum, amore electorum, continuando. Quis non libenter suspiceret, reuereretur, amaret, & glorificaret diuinam potentiam in hoc sæculo, per quam sperat se quoad corpus & animam, sic glorificandum in futuro? Affectus ferè ii lætem renouandi.

Similis ferè modus in alijs attributis piè fructuosèq; expendendis quoad discursus, affectusq; eliciendos poterit obseruari.

De

De Sapientia Dei.

III.

I. **E**Xpende, simili ratione, magnitudinē sapientiæ Dei. 1. Quàm lata seu immensa sit, quia comprehendit seipsum, & in seipso omnia, non solum præterita, præsentia, futura, sed & omnia possible, quæ facere potest; omnes possibile rerum euentus, omnia, quæ circa res creatas disponere potest. *Sapientia eius non est numerus.* 2. Quàm sublimis & perfecta sit, quia sapiens est, non accidentali sapientia, sed per essentiam. 3. Quàm longa sit, seu æterna, ipsi Deo coæua. *Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigabit?* 4. Quàm profunda, & incomprehensibilis sit, quæ nequit à creatura vlla, vt nec diuina essentia, cum qua idem re est, comprehenditur. Abscondita est ab oculis omnium uentium, volucres quoque cæli latet, ipsos nempe Angelos. Quàm longè hæc sapientia Dei excedit scientiam Cherubimorum, omnemque aliam possibilem sapientiam? quam merito proinde suspiciendus laudandus, merendus, amandus *Deus scientiarum Dominus?* quàm humiliter & cautè ambulandum coram eo, qui scrutatur corda & re-

Psal. II 4.

Eccl. I.

Iob. 28.

I. Reg. 27.

& re-

Heb. 4.

& renes, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia: Admitatio & collaudatio diuinæ Sapientiæ, timor, amor, feruor Deo sincerè perfecteq; seruiendi, seu praxis exercitij præsentia Dei.

Ecccl. 1.

¶ I. Quam clarè Deus hanc infinitam suã sapientiam nobis in tempore manifestarit, ac porro manifestare non desinat, 1. In operibus naturæ, vt in creatione, conseruatione, & gubernatione mundi, omniumque, quæ in mundo sunt, maximè Angelorum & hominum, in quibus omnibus miraculucet sapientia Dei, iuxta illud: *Effudit illam super omnia opera sua.* 2. In operibus gratiæ, vt in Incarnatione Verbi, & tam mira & congruã reparatione hominis lapsi: in ineffabili SS. Eucharistiæ mysterio omnium mirabiliũ Dei compendio: in adinventione tot, tamque admirandarum viarum ac rationum, quibus electos suos deducit ad salutem, idque tam suauiter, vt ne vim vllam inferat liberæ eorum voluntati; & nihilominus tam efficaciter, vt potius vniuersum mundum inuerteret, quàm vel vnum eorum perire sineret. quàm meritò hæc expendens admirabundus exclamare debe-

Psal. 103. *res: Quàm magnificata sunt opera tua.*
Do-

Domine, omnia in sapientia fecisti! quàm humili, gratoque animo redamare, & glorificare oporteret eum, qui tibi præ tot alijs gentilitatis, hæreseos, vel ignorantia tenebris inuolutis, incerta & occulta sapientia suæ manifestare *Psal. 101.* dignatus est? Admiratio, amor, zelus gloriae Dei.

III. Quando demum clariùs thesauros infinitæ sapientia suæ reseraturus sit in æternitate, quando videbimus eum sicuti est, & in eo omnia mysteria abscondita à sæculo, omnia occulta & iustissima eius iudicia, omnia stupenda opera, omnes admirandas adinventiones, quibus singulos Electos ad ralem gloriam perduxit, abyssum denique causarum & rationum, æternarum diuinæ prouidentia, nihil omnino casu absque certa causa permittentis.

Quàm promptè nunc ergò mysteria fidei credere, occulta iudicia Dei reuereri, beneplacitum prouidentia diuinæ in omnibus admirari, laudare, amplecti te oporteret, qui hæc omnia te olim clarè intuiturum confidis in ciuitate Domini virtutum, vbi videbitur Deus Deorum in Sion! Zelus proficiendi in viua fide, feruenti charitate, absoluta resignatione. *De*

De Bonitate Dei.

I. **E**Xpende. 1. quàm lata & immensa sit bonitas Dei, quæ continet in se omnem rationem boni tam naturalis, quam moralis, seu tam in genere entis, quam in genere moris. Habet enim in se eminenter naturales perfectiones omnes posibles omnium possibiliū creaturarum, & similiter perfectiones morales omnium virtutum, liberis creaturis proprias, absque vlla imperfectione, cum sit impeccabilis, infinitè sanctus, & consequenter habet omnem rationē boni, non tantum honesti, sed etiā vtilis, & delectabilis: quicquid enim honestatis, vtilitatis, & delectabilitatis in creaturis reperiri, aut concipi potest, id multò eminentius in se complectitur. 2. quàm longæua sit Dei bonitas, ipsi nimirum coæua, indefectibiliter æternū eadē perseverās. 3. quàm alta seu infinitè perfecta sit, quæ nec intēdi nec minui possit, respectu cuius creaturarum bonitas nulla sit, cum non accidentaliter bonitate Deus bonus sit, sed

Luc. 18.

per essentiam, iuxta illud: *Nemo bonus nisi solus Deus.* Et: *Non est Sanctus, ut est*

est Dominus. 4. quam profunda proinde seu incomprehensibilis sit illa bonitas, quæ idem re est cum essentia diuina, ideoque nequit comprehendi.

Quàm longè hæc infinita bonitas superat omnium rerum creatarum, quantumuis amabilium, etiam possibilem, bonitatem, quæ semper limitata & defectibilis, imò nisi à Deo conseruetur, nulla est! Quàm meritò ergò Deus, præ omnibus & super omnia, est æstimandus, amandus, que- rendus? quam indignum est, spreta infinita bonitate, & amabilitate, euandæ & momentaneas creaturarum oblectatiunculas aucupari? Quàm meritò de his conqueritur Deus apud Ieremiam: *Obstupescite cæli super hoc, & porta eius desolamini vehementer. Ne dereliquerunt fontem aqua viua, & f. derunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, qua continere non valent aquas!* Admiratio, gaudium de bonitate tanta, amor Dei tam boni, horror offensæ eiusdem, cõtemptus creaturarum.

II. Quomodo Deus hanc suam bonitatem in tempore manifestarit. 1. In operibus naturæ, vt in creatione, conseruatione, gubernatione mundi, omniumque rerum creaturarum, maxi-

maximè hominum, & Angelorum; tot, tam varias, tam congruas, tam eximias perfectiones dotesque naturales ex inexhausto thesauro infinitæ bonitatis suæ singulis impertiendo, easdem sic dotatas conseruando, gubernando, ad fines debitos dirigendo: in operibus gratiæ, vti in opere redemptionis, vocationis, iustificationis, tot, tam multiplicia, tam sublimia charismata supernaturalia rationalibus creaturis conferendo, eadem in ijs conseruando, & augendo; insuper seipsum, fontem omnium gratiarum, per Incarnationem & sanctissimæ Eucharistiæ institutionem hominibus communicando, idque ex gratuita bonitate sua. O quam suspicienda, quam amanda, quam glorificanda, super omnia; tanta bonitas! Affectus ferè ijdem renouandi.

III. Quomodo demùm eandem bonitatem suam in æternitate exhibiturus sit, beatis tam inæstimabilia, singulorum meritis proportionata, donæ gloriæ essentialis & accidentalis, animæ & corporis conferendo, æternumque conseruando! Affectus ijdem, cum spe gloriæ, repetendi.

De

De infinita charitate erga homines, V.
maximè Electos.

1. **E**Xpende eodem modo magnitudinem charitatis Dei, 1. Quàm latè se extendat, ad omnes omnino homines, quos omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: & ad omnia bona naturæ, gratiæ & gloriæ, quæ ex amore ijsdem contulit, confert, conferetque æternum. 2. Quàm longa sit, ab æterno in æternum perdurans. Nam ex quo est, Deus, amavit, quos creare, saluare, gratiâ, & gloriâ coronare constituit, quantum in se erat, præcipue Electos: iuxta illud: *In charitate perpetua dilexi te.* 3. Quàm *1er. 38.* sublimis infiniteque perfecta sit, cui nulla creata charitas queat comparari, ob dona sublimissima & inestimabilia naturæ, gratiæ, gloriæ, per eam hominibus collata, & conferenda. 4. Quàm profunda & inuestigabilis sit, tum quia Deus ipse est charitas, tum quia ex gratuito beneplacito suo tam miris occultisque modis, quos elegit, ad optatum finem perducit.

O quantò latior, longæuior, sublimior & incomprehensibilior hæc charitas

ritas

ritas Dei omni creata & possibili creari caritate! quali ergo reciproca dilectionis affectu merito compensanda! His expensis exercendi affectus amoris latissimè, sublimissimè, constantissimè, insatiabilissimè, in præsentis more consueto.

II. Expende quomodo Deus hanc charitatem suam nobis ostenderit in tempore, in omnibus operibus suis, naturæ & gratiæ, maximè in opere redemptionis, luculentissimo infiniti amoris sui erga nos monumento. 1. Pater mittendo Filium, & adoptando nos in filios & hæredes regni per eius Incarnationem. 2. Verbum Incarnatum, seipsum pro nobis tradendo, intimeque vniendo, non modò per gratiam iustificantem, sed etiam realiter per præsentiam sacramentalem. 3. Spiritus sanctus insuper, seipsum, ceu fontem omnis amoris & gratiæ, nobis communicando. Quam incomprehensibilis in his omnibus elucet dilectionis excessus! quo excessu amoris iure esset recompensandus? Affectus ijdem exercendi quoad præteritum, seu dolor excitandus de nostra in redamando frigiditate.

III. Quomodo demùm eandem charita-

titatem suam, multò feliciori modo, exhibiturus sit in æternitate Electis, ineffabiles gloriæ & beatitudinis suæ thesauros, quoad animam & corpus, cum ipsis liberalissimè communicando, seipsum ijs per visionem, amorem & fruitionem beatificam in omnem æternitatem beatissimè possidendum tradendo, familiarissimeque cum iisdem veluti amicis intimis filijsque dilectissimis, agendo.

O quales deliciae erunt, sic ab eo æternum amari in patria, quarum vel modica & momentanea delibatio sic reficit in via! Affectus ijdem amoris in futurum exercendi cum propositis practicis.

De Misericordia Dei.

VI.

I. **E**Xpende 1. quàm latè se diffundat misericordia Dei, ad omnes omnium creaturarum miseras, maxime hominum, etiam in gratissimorum peccatorum, tam corporales, quam spirituales, tam temporales, quam æternas subleuandas. *Misericordia Domini Psal. 118. plena est terra. Miserere, Domine, omnium, quia omnia potes.* 2. Quàm longa sit, perdurans in omnes æternitates: *Misericordia Domini ab aeterno in aeterno*

ater-

ascernum, super timentes eum. 3. Quam
 sublimis, seu quam intensa sit, cui om-
 nis misericordia creata, hominum &
 Angelorum, simul sumpta, vix nomen
 misericordiae mereatur, quæ nec in-
 tendi possit, nec remitti, cum sit infi-
 nitè perfecta. 4. Quam denique pro-
 funda, seu incomprehensibilis sit, tum
 quia est super omnia opera eius, iuxta
Psal. 144. illud: *Miserationes eius super omnia ope-*
ra eius, extenditq; se ad indignissimos
 omni miseratione peccatores, imò ad
 ipsos damnatos, quos infra condignū
 punit; tum quia misericordia Dei, vti
 & charitas, Deus ipse est.

Quam longè excedit hæc miseri-
 cordia infinita omnem finitam miseri-
 cordiam! quam proinde reuerenter
 suspicienda, amanter complectenda?
 quanta fiducia ad sinum tam amplæ in-
 exhaustæque misericordiae nobis in o-
 mni afflictione confugiendum? Ad-
 miratio, amor, gratitudo, filialis fida-
 cia, & recursus ad Deum.

II. Quomodo Deus hanc misericor-
 diam suam hucusque à condito mun-
 do in hoc sæculo exhibuerit, hodieq;
 exhibeat, erga omnes creaturas, maxi-
 mè rationales, hominibus & iumentis
 necessaria tam paternè prouidendo,
 atque

atque à tot miserijs corporalibus præ-
 seruando, & liberando, iuxta illud: *Psal. 36.*
Homines & iumenta saluabis Domine: Psal. 146.
 quemadmodum multiplicasti misericor-
 diam tuam Deus! Homines insuper, &
 te inter illos, à tot spiritualibus mise-
 rijs, vti peccatis, tentationibus, peri-
 culis salutis tam misericorditer præ-
 seruando, ex ijsue eruendo: & demum
 luculentissimè, in humana natura as-
 sumpta miseras nostras, absque pec-
 cato, assumendo, atque in se culpas
 nostras, quibus æternas miseras mere-
 bamur, expiando, iuxta illud: *Heb. 4.*
Voluit per omnia fratribus assimilari, ut miseri-
cors fieret.

Qualis abyssus Domini misera-
 tionum, quibus exhaurire dignatus
 est abyssum nostrarum miseriarum!
 Affectus ijdem cum zelo imitandi.

III. Quomodo eandem misericor-
 diam Pater misericordiarum exhibi-
 turus sit in futuro sæculo, electos pur-
 gandos à temporalibus pœnis per vi-
 uorum suffragia, & Filij Sanctorumq;
 merita misericorditer liberando: pur-
 gatos, aut purgatione istic non indi-
 gentes, ab æternis miserijs præseruan-
 do; & iusto iudicio damnatos infra
 condignū puniendo. O quantò Deus

A a

est

est propensior ad misericordiam, quam ad iustitiam, ut meritò dixerit David: *Nunquid obliuiscetur misereri-
 Psal. 76. Deus, aut continebit in ira sua misericor-
 Hab. dias suas!* Et Habac. *Cum iratus fueris, misericordia recordaberis.* Affectus penè ijdem repetendi.

De longanimitate Dei.

I. **E**Xpende 1. quàm latè se extendat Longanimitas Dei, ad omnia omnium hominum, maximorum etiam peccatorum, peccata, quantumuis grauias & enormia, longanimitè, ad longum etiam non rarò tempus, toleranda. 2. quàm longa sit, coeua scilicet ipsi Deo, qui, quos tolerat misericorditer in tempore, decreuit sic tolerare ab aeternitate. 3. quàm sublimis infiniteque intensa, cui nulla nec humana, nec Angelica longanimitas, nulla paterna, vel materna patientia & indulgentia queat comparari. 4. quàm profunda & incomprehensibilis, quae nulla hominum etiam contumacissimorum & obstinatissimorum ingratitude & malitia possit exhauriri. O longanimitatem verè diuinam, non humanam! quam verè hanc intuens exclamauit Regius vates: *Miserator & mi-
 Psal. 102. seri.*

Psal. 102.

fericors Dominus, longanimis & multum
 misericors. Quomodo miseretur pater fili-
 orum, misertus est Dominus timentibus se,
 quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.

Et Sapiens: Dissimulas peccata hominum, Sap. II.
 propter pœnitentiam, diligis omnia, qua
 sunt; parcu autem omnibus, quoniam tua
 sunt, Domine, qui diligis animas: Ad-
 miratio, amor, gratitudo, fidu-
 cia.

II. Quomodo hanc longanimita-
 tem à condito mundo hucusque exer-
 cuerit erga tot peccatores; protopla-
 stis parentibus tam misericorditer
 parcendo, & tam admirabile medium
 reparando generi humano prodendo;
 mundum ob tot horrenda scelera, ge-
 nerali diluuiò delendum, tot annis
 tolerando, & per Noe præmonendo:
 populum Israeliticum tot annis rebel-
 lem, ingratum & impium misericor-
 diter sustinendo, & ad resipiscendum
 prouocando: tot regum impijsi-
 morum & Monarcharum abominan-
 da flagitia, tot priuatorum hominum
 inaudita facinora plurimis annis
 non infrequenter dissimulando. Quæ
 paterna maternaque indulgentia
 huic longanimitati queat compara-
 ri? quis pater, aut quæ mater has

toleret iniurias molestiasque in unico filio, quas Deus quotidie tolerat in ingratisimo mancipio? Affectus ijdem cum zelo imitandi similem in aliorum defectibus tolerandis longanimitatem.

III. Quomodo eandem longanimitatem Deus tibi hucusque à puero exhibuerit, tot tantasque tuas iniquitates, ingrattitudines, & negligentias paternè dissimulando, tam patienter tolerando, ad pœnitentiam te exstimulando. Hæccinè à proximo tuo, quantumvis amicissimo patereris, que Deus à te terræ vermiculo hucusque passus est, hodieq; pati dignatur? Cave ergò ne amplius tanta bonitate abutare. Audi Apostolum monentem:

Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientia, & longanimitatis contempnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram, in die ira, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuique secum opera eius. Grattitudo, amor, dolor de ingrattitudine, zelus emendandi.*

(. .)

Do-

Dominica V. post Pascha.

5. Hebdom.
dom.
post
Pascha.
I.

De Oratione. Ioan. 16.

I. Inuitat Christus discipulos ad orandum, inquit: *Amen dico vobis, si quid petieritis Patre in nomine meo, dabit vobis.* Quanta dignatio diuinæ Maiestatis hominem, quoties libet, in colloquium admittentis! quanta liberalitas, quicquid petitur in nomine Filij, liberaliter largientis! Quanta vilis homuncionis illa dignitas, sic à Deo in colloquium admitti, quanta felicitas sic exaudiri! quanta porro ignavia & ingratitude, tanta gratia non crebrius nec auidius uti! Gratitude, fiducia, feruor orandi.

II. Idem orationis exercitium vehementius inculcat, simulque quid, & quomodo petendum fit, insinuat, inquit: *Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Illa nimium innuit esse petenda, quæ nos iuent ad gaudium plenum solidumque bonæ conscientiae in hac vita, & beatæ perennitatis in altera consequendum.

cuiusmodi non sunt opes, honores, voluptates, & res caducæ, nisi quatenus ad finem vltimum consequendum conferunt; sed cordis puritas, solidæ virtutes, & perfecta cum Deo, eiusque beneplacito, vnio & conformitas. Deinde hæc ipsa efficacissimè petenda à Patre per infinita Filij merita, atque etiam per paterna misericordiæ eius viscera Zelus sic orandi.

3. Eisdem ad filialem fiduciam animat, tum quod ipse Pater ipsos amet, tum quia ipse sit futurus eorum aduocatus apud Patrem, ad quem se rediturum prædicit: *Non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis, ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exiui. Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* O qualis abyssus miserationum æterni Patris sic nos diligentis! qualis abyssus meritum, tota vita accumulatorum, Filij apud Patrem pro nobis interpellantis! quis sincerè Deum quærens & amans, si has abyssos viæ fidei oculis intueatur, ad filialem fiduciam non mirificè animetur? Amor, filialis fiducia.

De

De Iustitia Dei.

II.

I. **E**Xpende 1. quàm lata sit iustitia Dei, seu quàm latè se extendat, ad omnium hominum & Angelorum omnia & singula mala merita punienda, & bona merita remuneranda. Quàm longa sit, seu coæterna ipsi, qui quamdiu est Deus, tamdiu est iustus. 3. Quàm sublimis, seu quàm perfecta, cui nihil possit addi, nec demì, qui exactissimè reddit unicuique secundum opera sua, quorum omnium numerum, pondus & mensuram profundissimè penetrat. 4. Quàm demùm profunda & inuestigabilis sit eadem iustitia Dei, qui iustissimo iudicio ex communi massa corruptionis alios elegit gratis in vasa misericordiæ ad æternam gloriam, præ tot alijs præuis veluti vasis iræ in contumeliam. O quàm verè dixit admirandus Psalter: *Iustitia tua sicut montes Dei, Psal. 35. iudicia tua abyssus multa!* quàm longè hæc iustitia superat omnem creatam iustitiam! quantò exactius reddit unicuique, quod suum est, utpotè, qui non solum vult, sed & scit, & potest ex amussim omnia tam bona, quàm mala, recompensare. Admiratio, veneratio,

ratio, laudatio iustitiæ Dei; horror diuinæ offensæ, zelus proficiendi in omni sanctitate.

II. Quam manifesta infinitæ iustitiæ Deus à condito mundo hucusque ediderit, hodieque edat, non raro, exempla. 1. In plectendis malis meritis spirituum Apostolicorum, protoplastorum parentum, omnium corruptorum hominum tempore diluuij delictorum, Sodomitarum exultorum, Israclitarum rebellium toties castigantium, Beniamitarum penè excisorum, tot aliorum peccatorum, quorum aliquos tam horrendis modis, etiam in hac vitâ, mulctat, alios in futurum æternum puniendos reseruat, occulto quidem, sed iustissimo iudicio. 2. In remunerandis bonis meritis seruatorum suorum, vti, in veteri lege, Patriarcharum Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, piorum Regum Davidis, Ezechia, aliorumque diuinæ legis obseruatorum, vti Tobias, Machabæorum: in noua lege, tot Apostolicorum virorum, Martyrum, Confessorum, aliorumque piorum in hodiernum vsque diem obsequia, & sanctos pro ipsius gloria.

gloria susceptos labores partim in hac vitâ remunerare, in futurum copiosius remunerandos reserua- ra consuevit. Affectus ferè ij- dem.

III. Quantò demùm luculen- tius infinitam suam iustitiam in fu- turo sæculo sit æternùm declara- turus, in reproborum omnium omnibus & singulis præuaricatio- nibus rigidissimè mulctandis, tum in Electorum bonis desiderijs, & operibus exactissimè remune- randis in numero, pondere & mensurâ secundum normam iusti- tiæ suæ, quæ nec vnicum qui- dem malum desiderium relinquet impunitum, nec minimum desiderium bonum irremu- neratum. Affectus ij- dem renouan- di.

A a s

Dee

III. De veritate & fidelitate Dei in
promissis.

I. **E**Xpende 1. quàm latè se exten-
dat hæc Diuina veritas & fideli-
tas, ad omnes videlicet veritates vn-
quam à Deo reuelatas, ad omnes figu-
ras veteris Testamenti, vmbra futu-
rorum, ad omnes promissiones in v-
Psal. 144. troque testamento factas. *Fidelis Do-*
minus in omnibus verbis suis. 2. Quàm
Psal. 116. longa, seu æternum inconcussa per-
durans: *Veritas Domini manet in æter-*
num. 3. Quàm sublimis, seu quàm in-
finitè perfecta & infallibilis sit, cui
nec addi quicquam, nec demì possit.
4. Quàm profunda, & incomprehen-
sibilis, tum quod sit circa res abstrusis-
simas, longissimeque omnem creati
intellectus captum superat, tum quod
Deus ipse sit veritas. Quàm longè ex-
cedit hæc infinita veritas & fidelitas
Dei, omnem creatam veritatem & fi-
delitatem, quæ ex se tam arcta, tam
breuis, mutabilis & fallibilis depre-
henditur: quàm viuam proinde fidè,
quàm filialem fiduciam, quàm arden-
tem dilectionem à nobis vicissim exi-
git! Affectus fidei, spei, charitatis hic
subiungendi.

II. Quo-

II. Quomodo Deus hanc suam infinitam veritatem & fidelitatem in hoc sæculo manifestarit, tot figuras, tot prophetias in veteri lege Patribus factas, maximè circa aduentum Saluatoris: similiter in noua lege prædictiones & promissiones Christi Domini circa Ecclesiæ suæ incrementum, inconcussam inter persecutionum procellas stabilitatem, peculiaremq; Spiritus sancti assistentiam accuratissimè adimplendo. Affectus ijdem repetendi cum zelo tam fideli Domino fidelius seruiendi.

III. Quomò demùm clarius manifestaturus sit hanc eandem veritatem & fidelitatem in futuro sæculo, omnia à se reuelata & prædicta, de statu beatæ aut miseræ æternitatis, implendo. quàm luculenter damnati infallibilem veritatem Dei, æterna reprobis intentantis supplicia, æterno eialatu, testabuntur? & quàm perspicaciter beati infallibilem fidelitatem eiusdem, æterna iustis promittentis præmia, cum ineffabili cordis tripudio, intuebuntur? Affectus ijdem cum oppositis practicis renouandi.

IV.

De Liberalitate Dei.

I. **E**Xpende i. quàm latè se diffundat Liberalitas Dei, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, ad omnia videlicet dona naturæ, gratiæ & gloriæ, omnibus & singulis rationalibus creaturis, atque inter eas maximè Electis, & vicissim erga se liberalibus liberalissimè impercienda. 2. Quàm longa sit, durans ab æterno in æternū, quoad voluntatem eadem dona, imò seipsum, liberalissimè largiendi. 3. Quàm sublimis & infinite perfecta, tum ob excellentissima dona, quæ tam profusè imperitur, quia ipse re idem est cū infinita liberalitate sua, quæ proinde nec augeri potest, nec minui. 4. Quàm profunda sit, cum gratis absque vllō debito, & merito, quibus vult, liberalius, præ ceteris, sua dona, seque ipsum communicet; proindeque captum creati intellectus, longè superet. Equanam liberalitas, etiam possibilis in cœlo & in terrâ, huic queat comparari? nulla, nusquam, nunquam. Quam grato, feruenti, liberali animo tam liberali Domino iure foret feruendum? Gratitude, amor, feruor per-

perfectè Deo seruiendi per assiduum
studium eximiæ perfectionis.

II. Quàm liberalem se exhibuerit &
nunc exhibeat Dominus erga Ange-
los & homines in via, maximè Electos
erga se vicissim liberales, & liberali a-
nimo se totos eius obsequio impen-
dentes. 1. Tot, tam varijs eximijsque
naturæ & gratiæ donis cumulatissimè
eos ornando; virtutes supernatura-
les, cum habituali gratia, in excellenti
gradu gratis eis infundendo. 2. Coo-
perantes charismatis sibi communica-
tis, pro singulorum meritis, insigni-
bus gratiæ sanctificantis augmentis
statim deuorando, noua que auxilia gra-
tiæ excitantis, tot, ac tanta, ad conti-
nuum eiusdem sanctificantis gratiæ, &
infusorum habituum incrementum
promerendum largissimè superadden-
do. 3. Hanc suam liberalitatem tam in-
assidua suppeditatione nouorum au-
xiliorum gratiæ excitantis, quàm in
collatione nouorum graduum virtu-
tum infusarum, maximè charitatis &
gratiæ sanctificantis, nisi ipsi ponant
obstaculum, continuando vsque dum
perseuerantiæ donum & prædestina-
tum sibi gloriæ brauium assequantur.

Quam stupenda & profusa illa libera-
litas.

litas' quoties eiusdem erga te exper-
tus es, & nunc experiris non obscura
argumenta? & tamen adhuc te tam
parcum exhibes & torpidam in eius
obsequio. quando tandē audies Apo-
2. Cor. 9. stolum intonantem: *Qui parvè seminat,*
parvè & metet, & qui seminat in bene-
dictionibus, de benedictionibus & metet.
Affectus ijdem, cum dolore de nostra
in diuinis obsequijs parcite.

III. Quàm liberalem se idem exhi-
biturus sit Electis suis in patriâ, o-
mnia & singula eorum merita, tam in-
æstimabilibus præmijs gloriæ essen-
tialis & accidentalis, animæ & cor-
poris, & variarum laureolarum, supra
condignum, remunerando, nec solum
eorum ardua & heroica facinora, sed
minima etiam pia desideria. O quàm
detestanda socordia nostra in operi-
bus ac desiderijs meritorijs multipli-
candis, cum tam profusa sit, liberalitas
Dei in eisdem, longè supra condi-
gnum, æternum remunerandis! Affe-
ctus ijdem cum zelo proficiendi assi-
duè in charitate, & gratiâ, per
frequentationem actuum
meritoriorum.

(. . .)

In

In Festo Ascensionis Domini.

V.

Mar. 16. Act. 1.

I. **R**ecumbentibus Apostolis apparens Christus & conuolens, primum paternè increpauit eorum incredulitatem, & duritiã cordis, vt eam agnoscentes, & detestantes, nunquam relaberentur: deinde blandè eos est consolatus, ne nimium ob discessum suum contristarentur, forsan vsus similibus verbis: *Vado parare vobis locum, & iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt, vbi ego sum, & vos sitis* O quam paternus Christi Domini erga electos suos est amor! quam verè ait: *Ego quos amo, arguo & castigo.* Apoc. 3. nec enim minus amat, cū increpat & flagellat, quàm dū cōsolatur, & fouet. Amor, constans patientia in aduersis.

II. Ne iniuncti sibi muneris prædicandi Euangelij difficultate deterrerentur, promisit eis spiritum S. breui mittendum, à quo essent in omnibus ditigendi, illuminandi, & confirmandi, inquit: *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Luc. 24. Quàm suauiter & efficaciter discipulorum, de suis viribus diffidentium, animos in talem spem erigit, vt omnia se posse in eo, à quo

quo se confirmandos audiunt, nō absque singulari interno gaudio, confidunt; ideoque nec verbo commissam sibi tam arduam prouinciam recusent? nec spe sua frustrati fuere: quantum enim pauci illi, timidi, & rudes prius piscatores, confirmati postea, & illuminati sancti Spiritus gratia, intrepidi Euangelij prædicatores breui tempore potuerint & effecerint, mundus stupescit vniuersus: Amor, & filialis fiducia erga tam amabilem Dominum, quos ad magna & ardua elegit, tales, si sibi diffidentes in ipso confidunt, quales esse vult, efficere consuevit.

Luce. 24.

III. *Eduxit eos foras in Bethaniam, in montem Oliueti.* An ipse simul cum eis visibilis exierit; an iussis illis istuc ire, vsque ad locum ipsum disparuerit, non liquet: vtrumque eximia fuit dilectionis eius in discipulos argumentum, & grande ijs contulit solatium. Voluit porro Saluator noster, caput Electorum, ex illo monte Oliueti, ubi erat Bethaniam, id est, domus obedientiam vel afflictionis, cælum conscendere, in quo passionem suam secundum beneplacitum æterni Patris, ex gratuita erga humanum genus dilectione & miseratione dignatus est auspicari; vt
osten;

stenderet heroicam tribulationum patientiam, & perfectam obedientiam, Bethaniâ; sublimem charitatem, monte ipso; & intimam misericordiam, oliuâ, adumbratam, esse regiam ad cœlum viam, quam ipse calcasset, nobisque calcandam designasset. Quam pios affectus compassionis, gratitudinis, amoris, congratulationis elicuerint discipuli inter eundem, recolentes, quæ non ita pridem isthic cõtigerant, circa amantissimum Magistrum suum à se desertum, captum, per vallem Iosaphat & torrentem Cedron deductum ad ignominiam Crucis; nunc gloria & honore coronatum, mox gloriôsè deducendum à cœlestibus hierarchijs ad dexteram Patris? Amor, congratulatio, zelus imitandi in Christo patientiam, obedientiam, charitatem, misericordiam.

De ascensu eius in cœlum.

VI.

I. **D**iscipulis in monte Oliueti congregatis exhibuit se amantissimus Dominus solito splendidiorem, vultuque blandiorem, omnes & singulos, pro amplexu dari solite, ad osculandas cicatrices vulnerum suorum benignè admittens. Quàm insolitos
inte-

interim diuinæ lucis radios singulorum mentibus afflabat? quàm ignitas diuini amoris sagittas cordibus infigebat? quam porrò illi ardentis reuerentiæ, amoris, doloris & gaudij mixtos lacrymis affectus, quàm incredibili cum internæ dulcedinis gustu frequentarint; præsertim B. Mater, quæ tam ardentem comitari filium optabat, & tam heroicè simul eius diuinæ voluntati se resignabat. Quis illius plusquàm Seraphici cordis excessus intellectu assequatur? Admirare & imitari conare prædictos actus amoris, congratulationis, resignationis.

- Luc. 14.** *II. Et eleuatis manibus benedixit eis, & ferebatur in cœlum.* Quàm ineffabili paternæ misericordiæ & dilectionis affectu pius Dominus, inueniens hos dilectos suos discipulos tam ægrè à se diuelli, eorum orbitatem miseratus, largissimam ijs, eleuatis manibus, benedictionem impertierit, quanto eorum gaudio & solatio? forsan his vel similibus verbis vsitatis in lege veteri vsus: *Benedicat vos Dominus & custodiat vos: stendat Dominus faciem suam vobis, & misereatur vestri.* **Ioan. 17.** *Conuertat Dominus vultum suum ad vos, & det vobis pacem.* Vel his in cœna antè
vsur-

vsurpatis: Pater serua eos in nomine tuo, ut sint unum sicut & nos. Quam liberalis est Dominus, quam paratus nos benedicere in omni benedictione spiritali in caelestibus, modo nos ad eam excipiendam disponamus, per humilem agnitionem nostrae indigentiae, per ardens desiderium amplioris diuinae gratiae, & assiduum studium eidem strenue cooperandi vsque ad finem vitae! His consideratis gratias diuinae liberalitati age, & affectus humilitatis, fiduciae & zeli constanter proficiendi subiun-
ge.

III. Et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Act. 1.

Quanta admiratione & exultatione discipuli defixis oculis & attonitis mentibus sequebantur Dominum, non curru aut equis, instar Eliae, nec Angelico fultum ministerio, sed virtute propria eleuatum a terra, gradientem in multitudine virtutis suae, caelum conscendere, vsque dum eum nubes lucida eorum aspectui subduceret? Quam admirandos interim affectus amoris, congratulationis, fiduciae, zeli gloriae eius continuerint? quam incensa desideria eum sequendi cum debita tamen resignatione, elicuerint? quanto affectuosius, quam olim Eliseus,
inti-

intimis præcordijs exclamauit: *Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga eius!*
 4. Reg. 2. Et cum Sponſâ: *Trahere nos post te, curre-*
 Cant. 2. *mus in odorem unguentorũ tuorum!* quan-
 ta mentis dulcedine se perfundi, quam
 insolita vi se trahi post dilectum suum
 fenserint, vt oculis saltem abeuntem
 sequendo non viderentur posse fatia-
 ri, vsque dum per apparentes Angelos
 regredi in Ierusalem iuberentur! Quã
 æquum est & nos eundem Dominum,
 & sponſum nostrum, tam amabilem,
 instar aquilæ prouocantis ad volandũ
 pullos suos, omnes ad se inuitantem
 & post se trahentem conari saltem de-
 siderijs cordis sequi, desiderando me-
 ditatus ab amore terrenorum expedi-
 ri, mente in cœlestibus habitare, & so-
 lum, quæ sursum sunt sapere, nec quic-
 quam aliud in terris expetere, quam
 diuinam eius gloriam omnibus modis
 semper & vbique propagare! Amor,
 congratulatio, zelus gloriæ Christi,
 desiderium cœlestis patriæ.

VII.

De Ingressu Christi in cœlum.

Psal. 67.

I. **A** Scendens Christus in altum, capti-
 uam duxit captiuitatem, magno
 cum triumpho & iubilo, ium iustorũ
 è limbo liberatorum, comitantium &
 plau-

plaudentium, tum Angelorum congratulantium & concinentium ingressus est cœlum Empyreum. Quanto gaudio beati illi recens è squalore limbi educti ineffabili cœlestis illius domicilij amplitudine, splendore, magnificentiâ stupefacti exclamarint: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Et: *Domine bonum est nos hic esse!* Quanta exultatione Angeli partim ipsum comitantes, partim obuiam occurrentes eidem applauserint! iuxta illud: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia latantium.* Et: *Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tuba.* de quæ inuicem cohortantes ingeminarint: *Psallite Deo nostro, psallite, psallite Regi nostro, psallite, quoniã Rex omnis terra Deus, psallite sapienter. Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad orientem.* Quam lætabundi hî cæteros, qui in cœlo remanserant alloquentes dixerint: *Attollite portas principes vestras, & introibit Rex gloria.* quærentibus autem illis: *Quis est iste Rex gloria?* responderint: *Dominus fortis & potens in pralio.* conspicati porrò Christum, simul & cicatrices vulnerum circumferentem, & inenarrabili fulgore coruscantem.

Psal. 83.

Matt. 17.

Psal. 67.

Psal. 23.

Psal. 67.

Psal. 23.

scantem

Isa. 63. scantem, iterum attoniti interroga-
runt: *Quis est iste, qui venit de Edom, tin-*
dis vestibus de Bosra? iste formosus in sto-
la sua gradiens in multitudine fortitudinis
sua? Quibus cum ipse respondisset:

Apoc. 5. *Ego sum, qui loquor iustitiam, & probug-*
nator sum ad saluandum, simul omnes
supplices & venerabundi illi accla-
marint: Dignus est agnus, qui occisus est,
accipere virtutem, & diuinitatem, & sa-
pientiam, & honorem & gloriam, & be-
nedictionem. Quanto demum liquidio-

Luc. 15. re gaudio perfusus bonus pastor Chri-
stus, ob ouem perditam morte sua re-
cuperatam, cœloque redditam, exul-
tabundus Angelis dixerit: *Congratu-*
lamini mihi, quia inueni ouem, qua perie-
rat. His expensis exerce similes affe-
ctus gaudij & congratulationis de
gloria Christi, zeli honoris eius, desi-
derando eundem ab omnibus agnosci,
amari, & glorificari sicut in cœlo, sic
& in terra.

II. Perueniens ad thronū æterni Pa-
tris Christus, quanto humilitatis, re-
uerentiæ, amoris sensu obrulerit ei-
dem prima expeditionis suæ spolia,
cœtum iustorum; rationemque im-
positi sibi operis iam confecti red-
dens, subiecerit: *Pater manifestavi no-*
men

Ioan. 17.

men

men tuum hominibus, & te clarificavi super terram. Opus consummaui, quod dedisti mihi, ut facerem. Et nunc clarifica tu me, Pater, apud te ipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret, apud te. Quam exultabundus Pater hoc oblatum munus acceperit, & confestim Filio dixerit: *Sede à dextris meis,* *Psal. 109.* constituens eum supra omnem creaturam, ut in nomine eius omne genua flectatur! Quanto iterum humilitatis, gratitudinis, amoris affectu hanc tantam Humanitatis suæ exaltationem acceptarit Filius? Congratulare Christo, & similes humilitatis, gratitudinis, amoris affectus exemplo eius exerce.

III. Quamprimum confedit ad dexteram Patris, quam promptè mox eiusdem nutu munus iudicis & remuneratoris auspiciari cœperit, singulis Sanctorum, quos secum adduxerat, pro meritis inter choros Angelorum thronos proprios assignando, sicque ruinas Luciferi & sociorum restaurando! item munus summi Pontificis & aduocati, pro nobis Patrem assidue interpellando, & cicatrices vulnerum suorum representando! iuxta illud: *Non enim in manufacta sancta* *Heb. 4.*
Iesus

Iesus introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum caelum, ut appareat nunc vultus Dei pro nobis. Et: Aduocatum habemus apud
 x. Ioan. 2. *Patrem, Iesum Christum, iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris? Congratulatio, gratitudo, fiducia, zelus perfectè seruiendi tam liberali remuneratori.*

I. **Dominica infra Octauam Ascensionis. Ioan 15. & 16.**

I. **C**um venerit Paracletus Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Quam luculentum Spiritus sanctus Christo perhibuit testimonium, illuminando discipulorum, aliorumq; fidelium intellectum, & purgando, inflammando, confirmandoq; affectum, ut veritates à Christo reuelatas constanter crederent, & ad mortem vsque propugnarent, & doctrinae Evangelicæ in omni perfectione sectandâ, vitam moresque suos conformarent! Simili modo Apostolici viri Christo perhibuere testimonium hæc eadem ipsis à Spiritu sancto inspirata, alijs ver-

verbo & exemplo inculcando. Hos imitare in zelo gloriæ Christi, & salutis animarum propagandæ.

II. *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini, absque synagogis facient vos.*

Quam sollicitè Christus suos de instantibus persecutionum procellis toties præmonet, ex incenso maioris eorum sanctitatis, gratiæ & gloriæ desiderio; ut sic à scandalo & lapsu præservarentur, & simul ad ardua quæque pro gloria Dei subeunda animarentur. Amor crucis, & martyrij desiderium.

III. *Sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*

Idem vehementius ijs inculcat, prædicendo eorum persecutores tam cæcos fore & impios, ut in persecutione piorum se arbitraturi sint Deo præstare obsequium; ne turbarentur videntes tantam suorum persecutorum insaniam & crudelitatem; nec mirarentur hæc permitti à diuina providentia, quæ ex pessima reproborum voluntate nouit elicere maximum bonum, ad maiorem suam, electorumq; gloriam. Admiratio & veneratio diuinorum iudiciorum, resignatio ad omnia, quæ Deus immittit, vel permittit.

II. *De immensa magnitudine gloria anime Christi Domini.*

I. **E**Xpende, quàm immensa, sublimis, & incomprehensibilis sit gloria, qua beatissima Christi Domini anima ab initio conceptionis frui cœpit in hac vitâ, æternumque fruetur in alterâ; quæ omnes perfectiones & prærogativas gloriæ essentialis, & accidentalis, omnibus & singulis beatis, hominibus & Angelis collatas, porroque conferendas eminentissimè in se complectitur, longissimeque supergreditur, tanto interuallo, quanto par est, præeminere in omnibus Filium Dei naturalem, filijs adoptiuis.

Isa. 64. Si ergò *oculus non vidit, Deus absque te, que præparasti expectanti te,* cuius etiã minimo Electorum; quæ primogenito Electorum præparâris, quis inuestigabit? quàm incomparabilis illa eius beatifica visio, quâ Deum, & in Deo videt omnia præterita, præsentia, futura supereminentissime! qualis ille amor beatificus, illud gaudium tali visioni correspondens? quàm supereminentes reliquæ accidentales gloriæ, tam immensæ eius gratiæ, & divinissimis virtutibus proportionatæ?
si præ-

si proinde æquum est cuius Sancto-
rum de adepta gloria congratulari, di-
uineque liberalitati pro ea collata gra-
tias & debitas laudes persolvere: quan-
to æquius est, id præstare, pro tam in-
comparabili gloria Sanctissimæ animæ
Saluatoris nostri collata? Congratu-
latio, gratiarum actio, & glorificatio
diuinæ Maiestatis.

II. Quanto stupore & gaudio omnes
Angelici spiritus, & cœtus iustorum
hanc tam ineffabilem gloriam glorio-
sissimæ animæ Christi suspexerint, ful-
gore eius perstricti profundissimè se
humiliarint, illi de tanta supereminē-
tia gloriæ congratulati sint, diuinæq;
maiestatis liberalitatem tantam lau-
darint, & glorificarint, idemque nunc
continuent & continuaturi sint, cum
saluandis omnibus, in omnem æterni-
tatē, idque eò intensius, 1. Quò cla-
rius sublimitatem gloriæ eius agnos-
cunt. 2. Quò ardentius Salvatorem
suum, sic glorificatum, amant. 3. Quò
maius gaudium ex beatitudine eius
percipiunt. 4. Quò zelosius Deum in-
finitè liberalem omni modo à se, om-
nibusque glorificari cupiunt. Affectus
ferè ijdem renouandi.

Bb 2

III. Quan-

III. Quanto humilitatis, gratitudinis, exultationis excessu Christus ipse, tantam gloriæ sibi collatæ supereminentiam sic à totâ cœlesti curia suspici extolliq; conspiciens, vt in vitâ mortali consueuerat, æterno Patri omnes sibi communicatas gratiæ & gloriæ prerogatiuas acceptas referat, illum auctorem omnium grato animo recognoscat, laudet, amet, & glorificet; simulq; ab omnibus sic eundem agnoscere, laudari, amari & glorificari exoptet: idque eò eminentius, quò perfectius magnitudinem gloriæ suæ & diuinę liberalitatis erga se perspicit: quò tenerius, & diuinius Patrem amat, & zelosius eius honorem propagari desiderat. Zelus imitandi Christum in humilitate, gratitudine, amore & zelo gloriæ Dei in hac vita, vt continuare feliciter eisdem affectus merearis in futura.

III. *De immensa magnitudine beatitudinis gloriosi corporis Christi Domini.*

I. **E**Xpende, quàm immensa, sublimis & ineffabilis sit gloria & beatitudo glorificati corporis Christi, quàm omnes gloriosorum corporum, omnium vnquam glorificandorum dotes, cla-

claritatem, imparibilitatem, subtilitatem, agilitatem, omnia omnium & singulorum sensuum liquidissima gaudia in excellentissimo gradu in se comprehendit, longissimeq; excedit. Supereminetia porro huius gloriæ, 1. inde potest æstimari, quod cū Christus sit verus Filius Dei, & corpus eius hypostaticè vnitum sit verbo diuino, talis ac tanta eius fuerit gloria, quæ deceret Vnigenitum Patris, iuxta illud: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi* Ioan. 1. *vnigeniti à Patre.* quam dignum ergo, ut ipse sit in omnibus, *primatum tenens?* Coloss. 1. 2. Colligi potest ex infinitate meritorum Christi, quæ fuere per omnia infinita, 1. ratione suppositi, seu personæ infinitæ operantis, 2. ratione infinitæ gratiæ, in esse gratiæ, quæ erat in Christo. 3. ratione supereminetissimorum operum, quæ pro gloria Patris fecit, iuxta illud: *Ego, quæ placita sunt ei,* Ioan. 8. *facio semper.* Et si enim non omnia fecit, nec passus est re ipsa, quæ pro gloria Dei fieri & tolerari possent; voluntate tamen efficaci Patri se obtulit ad omnia faciendâ & patiendâ, si ita ei placeret, quæ omnes in æternum facere & pati possent.

Quam immensum ergo debebatur

B b 3

præ.

præmium, gloria videlicet corporis (cùm gloriam animæ gratis acceptam nō decuerit eum mereri) quæ proindē tanta erit, vt omnem superet mensuram. 3. Ex infinito amore Patris erga Filium sibi obedientem factum vsque ad mortem. Si enim inimici ex odio diuinum filij corpus tam atrociter excruciarunt, quàm eminenter illud Pater glorificarit, præsertim cum odientium vires essent finitæ, amantis infinitæ? Congratulatio, gratiarum actio, zelus multa ardua faciendi & pariendi pro Christo, vt eum gloriosum olim intueri merearis.

II. Quàm admirabundi hanc tantam corporis eius gloriam Angelici spiritus & iustorum cœtus suspexerint, æternumque suspiciant, maximè post generalem resurrectionem omnes saluandi, non solum illuminatis beatificatæ mentis, sed etiàm glorificati corporis oculis? quàm exultabundi de tanta eius pulchritudine Christo regi suo congratulati fuerint, æternumque gratulentur, conspicati totam cœlestem Ierusalem mirificè claritate eius illuminari, iuxta illud: *Et ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam, & lucer-*

Apoc. 21.

na eius est agnus? Quanto tripudio ad diuinas laudes concinendas se inuicem excitarint, excitentque æternum: *Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, pusilli & magni Alleluia. Quoniã regnavit Dominus Deus noster, omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei; quia venerunt nuptia agni? Quid non faciendum & ferendum tibi foret pro gloria Christi, vt merearis his lætantium choris æternum sociari? Affectus ijdem ferè renouandi.*

Apoc. 19.

III. Quanta humilitate, reuerentiã, gratitudine, amore, zelo diuinæ gloriæ. Christus ipse hanc tantã corporis sui claritatem æternum intuens, æterno Patri æternas referat gratias, ipsi eam acceptam ferendo, ipsum, ceu fontem omnium charismatum, magnificando, & ab omnibus magnificari cupiendo. Zelus in his affectibus humilitatis, gratitudinis, amoris, zeli Christum æmulandi in tempore, vt cum illo continuare eosdem merearis in æternitate.

IV. *De gaudio SS. humanitatis Christi, ex
participatione gloria aliorum
Beatorum.*

I. **E**Xpende, quàm ineffabile gaudium Christus perceperit, æternumque percepturus sit, ex tanta gloria, tot, non solum beatorum Spirituum, sed etiam, & quidem maximè, tot hominum, corpore & animâ ynquam glorificandorum, & quidem tantò eminentius præ ceteris Beatis, 1. Quò clarius omnes & singulos singulorum Beatorum, tam essentialis quam accidentalis gloriæ gradus pervidet. 2. Quò tenerius singulos amat, 3. Quò magis singulorum, maximè hominum, tanto pretio à se redemptorum gloria ad ipsum pertinet, cum eam singulis, cum omnibus medijs ad illam consequendam requisitis, promeruerit. Si ergò singuli Beati ex aliorum gloria magnum hauriant gaudium, quam immensum hauriet Auctor gloriæ singulorum Christus? Congratulatio, zelus eximie perfectionis ad augendum gaudium Christi, quod percipit ex sublimiore gloria cuiusque Sancti.

II. Quam immensum sit eiusdem Christi Domini gaudium de gloria ex tot, tam-

tamque diuersis omnium & singulorū
 Beatorum & beatificandorum tam ef-
 fentialis, quam accidentalis beatitudi-
 nis brauijs in æternum Patrem redun-
 dante: cum ex ijs omnibus infinita
 eius potentia, sapientia, bonitas, mi-
 sericordia, liberalitas, charitas, aliæq;
 perfectiones clarissimè resplendeant,
 totamque curiam cælestem in admi-
 rationem, amorem, laudationemque
 eius validissimè rapiant. Tantò por-
 rò hoc gaudium eius est, æternumq;
 erit maius, 1. Quò euidentius Patrem
 infinito honore, amoreque dignissi-
 mum esse cognoscit. 2. Quò intensius
 illum, utpotè infinitè amabilem dili-
 git. 3. Quò zelosius eundem ab om-
 nibus agnosci, suspici, amari & glori-
 ficari expetit.

Quam iure igitur tibi ad laborandū
 erit, ut hoc sanctissimum Christi Do-
 mini gaudium assiduo studio eximia
 perfectionis propriæ alienæque pro-
 mouendæ adaugeas, zelumque diuini
 honoris & amoris in dies magis in-
 tendas; quem æternum te cum Chri-
 sto continuaturum speras? Gaudium
 de omnimoda glorificatione Dei, ze-
 lus diuini honoris, & eximia perfe-
 ctionis.

IIII. Quanto tandem inæstimabilius sit gaudium, quod Christus, quâ homo, percipit, æternumque percipiet ex infinita diuinæ Maieſtatis & incomprehenſibili beatitudine, quâ ſeipſum pleniffimè comprehendit, beatiffimè diligit, diuiniffimè ſeipſo fruens & nullius indigens æternum conqueſcit, idque ferè ob prædictas cauſas: 1. Quod præ omnibus beatis longè intimius hanc infinitam Dei beatitatem penetret. 2. Quod longè eminentius ipſum & omne eius bonum amet. 3. Quod longè excellentiori modo, præ ceteris, eandem beatitudinem participet. Gaudium de hoc tanto gaudio Chriſti, & infinita beatitate Dei, amor eiufdem cum ſpe ſimilis gaudij participandi.

De gloriâ animæ cuiuſque Electi.

V. I. **E**Xpende, 1. Quàm immenſa ſit beatitudo animæ diligenti Deum promiſſa, quoad omnem dimenſionem. Nam 1. Quoad latitudinem, extendit ſe ad omnia genera malorum, miſeriarum & pœnarum damni & ſenſus, quibus caret: & ad omnia genera bonorum, diuitiarum, deliciarum & honorum quibus abundat: ad omnes
animæ

animæ potentias, quas ineffabili gaudio demulcet: memoriam iucundissima tam mirarum viarum, quibus ad gloriam peruenit, ruminacione; intellectum clara tot mirabilium eius visione; voluntatem beatifico summi boni amore & fruitione. 2. Quoad sublimitatem, complectitur in se liberationem absolutissimam ab omni non solum incurfu, sed etiam ab omni metu quorumcunq; malorum, & possessionem perfectissimam quorumcunq; verorum bonorum, imò boni infiniti, omnia bona eminentissimè in se continentis, seu fontis omnium bonorū, & quidem modo eminentissimo, per participationem visionis amoris & gaudij beatifici ipsius Dei infinitè beati. 3. Quoad longitudinem, æternam includit, continuam, securamq; prædictæ ipsius Dei beatitudinis participatam fruitionem. 4. Quoad profunditatem, seu incomprehensibilitatem, transcendit longè omnem in hac mortalivira intellectus captum, iuxta illud Apostoli: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor ascenderunt hominis* I. Cor. 2. *qua preparavit Deus diligentibus se.*

Quis ergò non libenter captiuus in-

tellectum in obsequium fidei, & reue-
 reatur in hac vitâ abyſſum iudiciorum
 Dei, ſi verè ſperat intellectum ſuum
 per lumen glorię in altera euehendum
 ad claram beatificamque intuitionem
 SS. Trinitatis, diuinorum attributo-
 rum, ſecretorum myſteriorum fidei:
 præſertim myſterij Incarnati Verbi, &
 mirabilium eius perfectionum, prære-
 gatiuarum, geſtorum, item abſcondi-
 torum iudiciorum, decretorum, ope-
 rum, permiſſionum Dei? Quis abnuat
 ſuam hîc abnegare, diuinoque in om-
 nibus beneplacito conformare volun-
 tatem, quam iſtic per amorem & frui-
 tionem beatificam ſperat inebriandam
 ab vbertate domus Dei, & torrente
 voluptatis eius potandam, ſicq; ſubli-
 mandam, vt cum ineffabili ſatietate,
 abſque ſaſtidio; cum ſumma liberta-
 te, abſque peccandi periculo; cum in-
 æſtimabili ſuauiſſimate, abſque vlla relu-
 ctantia, idem cum Deo velit, idem no-
 lit æternum? Quis memoriã ſuã à
 vanis abſtrahere, atque ad diuina ru-
 minanda ſeriò applicare renuat. quam
 ſimiliter confidit mirificis gaudijs æ-
 ternum perfundendam ob iugem bo-
 norum naturæ, gratiæ & gloriæ ſibi
 collatorum, & malorum à ſe auerſo-
 rum

rum recordationem? His expensis excitandus amor Dei tantā gloriam promittentis, spes, & zelus potentijs animæ sic olim glorificandis. sanctè vten-
di modo insinuato.

II. Quantum sit futurum inter gloriam tam essentialem, quàm accidentalem beatarum animarum discrimen. Nam quò quisque Electorum hinc fuerit conformior Christo primogenito & prototypo Electorum in sanctificante gratia, alijsq; virtutibus ac prærogatiuis, per strenuam cooperationē cum diuina gratia acquisitis, auctisq;, quibus peculiare aureolæ sunt promissæ: eò quoque istic erit eidem conformior in essentiali gloria, alijsq; gloriæ accidentalis prærogatiuis. Quā quisq; tunc optaret maiorem se in augendi gratia & gloria tempore merendi adhibuisse conatum! quàm dole-
ret, si beatus ille status id ferret, se tanta in re fuisse negligentem! Zelus eximie proficiendi in spiritu, & plura semper faciendi & patiendi pro amore Dei tam liberalis in meritis etiam minimis remunerandis.

III. Quàm inenarrabili admirationis, humilitatis, gratitudinis, amoris affectus cuiusuis Electi anima in pri-

mo beatificationis suę momento, quasi è graui somno euigilans, & insolitę lucis & glorię nouitatē obstupescens, erumpet in excessus laudis, gratiarum actionis, insultationis, incipiens ex tunc cum Beatis reliquis misericordias Domini æternum cantare, & quidem eò affectuosius, quò se euectam cernit sublimius. Quisquis beatè hos excessus continuare cupis in patria, caue ne omittas eosdem quantumuis laboriosè frequentare in via. Zelus proficendi in intima humilitate, gratitudine, amore, & filiali reuerentia etga Deum.

VI.

De gloria corporis cuiusque Beati.

I. **E**Xpende simili discursu magnitudinem beatitudinis cuiusque Electi glorificando corpori promissę. Quã latè se extendat ad omnes gloriosorum corporum dotes, & liquidissimas omnium sensuum oblectationes: Primùm enim cuiusque Electi corpori glorioso communicabuntur hæ quatuor dotes: eximia claritas, cum admiranda tam interna, quàm externa pulchritudine: *Iustitiam fulgebunt sicut sol*, & habebunt corpus pellucidum, in quo appareat mira omnium ossium, venarum, neruorum

har-

Matt. 13.

harmonia : Imparibilitas, *Non enim e-* Apoc. 2.
surient, neque sitient amplius, neque cadet
super illos Sol, neque ullus aestus, nec vlla
vis illis aut molestia poterit inferri: A-
gilitas, ita enim anima corpori domi-
nabitur, vt celerrimè quocunq; volet,
sine vlla repugnantia illud transferat:
Sicut scintilla in arundineto discurrent: Sap. 5.
 Subtilitas demum seu immunitas à ne-
 cessitatibus vitæ vegetatiuæ, & facul-
 tas quoduis corpus absque vlllo impe-
 dimento penetrandi. *Nam erunt sicut* Matt. 22.
Angeli Dei.

Deinde omnibus & singulis sensi-
 bus corporis gloriofi peculiare con-
 cedentur oblectationes, quas perci-
 pient ex proportionatis sibi obiectis:
Visus ex aspectu tot gloriatorū cor-
 porum, maximè Christi Domini &
 B. V. Matris: *Auditus* ex concentu tot
 beatorum hominum & Angelorum:
Odoratus ex suauissimo gloriosorū cor-
 porum, maximè Christi & B. Virginis
 odore: *Gustatus* ex ineffabili satietate
 absque cibo & potu, & perenni suau-
 tate absque fame & fastidio: *Tactus* per
 totum corpus diffusus, ex conuenien-
 tissima sibi cœlestis Paradisi temperie.
 2. Quam sublimis sit hæc eadem cor-
 poris gloria, & profunda simul, seu
 incom-

Iſa. 64.

incomprehenſibilibus, ob tam eximias
dotes, & ſublimes ſenſuum oblecta-
tiones illi communicandas, quibus om-
nis huius mundi gloria, ornatus,
magnificentia, deliciae compositae nul-
lam penè habent comparationem, nec
proinde poſſunt in hac vita apprehen-
di, ita, ut & de illis merito intelligen-
dum ſit illud: *A ſaculo non audierunt,
neque auribus perceperunt, oculis non vi-
dit, Deus, abſque te, qua præparaſti expe-
ctanti te.* 3. Quàm longa ſit, quàm ſta-
bilis, immutabilis, perdurans in æter-
num abſque vllò timore eam amit-
tendi.

Quis hæc expendens in amorè tam
liberalis remuneratoris non rapiatur,
& ad mortificandam carnem cum cõ-
cupiſcentijs ſuis non accendatur? A-
mor, gratitudo, zelus continuæ mor-
tificationis.

I. Cor. 15.

II. Quantum quoque ſit futurum in-
ter gloriam corporum diſcrimè, iuxta
illud Apoſtoli: *Alia eſt claritas Solis, a-
lia claritas Lune, & alia claritas Stella-
rum: Stella enim à Stella differt in clari-
tate: ſic & reſurrectio mortuorum.* Quo-
enim quiſque in corpore ſuo, cum ſen-
ſibus & concupiſcentijs mortificando,
ſpiritui ſubiugando, ſanctèque divi-

no

no obsequio impendendo fuerit Chri-
sto conformior in hac vita; eò quoq;
erit eidem in corporis gloria, omni-
umque sensuum delicijs similior in al-
tera. Zelus Christum imitandi in san-
cto vsu, & continua mortificatione
sensuum.

III. In quos affectus admirationis,
humilitatis, gratitudinis, amoris eru-
pturus sit quisq; Electus in primo in-
stanti glorificationis sui corporis, æ-
ternum deinceps eosdem continuatu-
rus: & quidem eò feruentius, quò
maiori se gloriâ circumdatum obtu-
pescet. quo cordis tripudio & mentis
excessu inter 24. illos Seniores, quos
vidit Ioannes procidentes ante seden-
tem in throno, & mittentes coronas
suas ante thronum, & ipse prostratus
exclamabit: *Dignus es Domine Deus no-*

Apoc. 4.

ster accipere gloriam, & honorem, & vir-
tutem; quia tu creasti omnia, & propter
voluntatem tuam erant, & creata sunt!

Zelus mortificationem Iesu semper in
corpore circumferendi, & hos prædi-
ctos affectus, quos desideras istic

æternum continuare, hic

feruenter incho-

andi.

De

VII. De gaudio quod percipiet quisq; Electus
ex gloria aliorum Beatorum, B. V.
Christi Domini, ipsius Dei.

I. **E**Xpende quàm ingens gaudium
percepturus sit quiuis Beatorum,
de tanta tot aliorum beatorum homi-
num & Angelorum beatitudine, ob
mutuam inter ipsos perfectissimam
charitatem, quæ omnia bona gloriæ
facit omnibus & singulis communia,
iuxta hunc pijssimum Augustini dis-
cursum: *Si quis alius, quem omninò sicut
teipsum amares, eandem beatitudinem te-
cum haberet, duplicaretur gaudium tuum:
quia non minus gauderes pro eo, quàm pro
teipso. Si verò duo vel tres, vel multò plu-
res idipsum habent, tantundem pro singulis,
quantum pro teipso gauderes, si singulos sic
ut teipsum amares. Ergo quid erit in illa
perfecta charitate innumerabilium Ange-
lorum & hominum, ubi nullus diligit a-
lium minus, quàm seipsum. non enim ali-
ter gaudebit unusquisque pro singulis alijs,
quàm pro seipso. Quantum ergo erit
gaudium, quod quisq; Beatorum ca-
piet non tantum ex pari, sed etiam ex
multo maiori innumerorum Angelo-
rum, Archangelorum, Principatum,*
Po-

Manual.
s. 35.

Potestatum, Virtutum, Dominatio-
num, Thronorum, Cherubim & Sera-
phim, Confessorum, Virginum, Iu-
storum omnium tam essentiali quam
accidentali gloria? Si ergo cor hominis *D. Bern.*
de tanto bono suo vix gaudium suum ca- *Serm. 4.*
piet, quomodo capax erit tot & tantorum *de Ascens.*
gaudiorum? Quid concupiscere poterit in
saeculo nequam, cuius oculus semper videt
bona Domini in terra viventium, semper
videt aeterna premia, insuper participat
innumera omnium Beatorum gaudia?
Admiratio & glorificatio diuinæ libe-
ralitatis, & mutuae Beatorum charita-
tis, zelus liberalem se erga Deum in
studio eximiae perfectionis exhiben-
di, & Beatorum mutuam charitatem
æmulandi.

II. Expende, quanto porro maius
gaudium percepturus sit quiuis Electus
ex tam eminente B. V. Deiparæ tã ani-
mæ, quam corporis gloria, quæ tanto
intervallo aliorum Beatorum omnium,
quantumuis eximiam, gloriam tran-
scendit, præsertim cum illam tantò
magis quam seipsum diligat, quanto
maiore amore eam dignissimam agno-
scit. At quanto tandem eminentius
gaudium habiturus fit de immensa
SS. Humanitatis Christi Domini no-
stri,

stri,

stri, tam animæ, quàm corporis gloria, quæ non solum aliorum Beatorum omnium, sed etiam ipsius beatissimæ Matris infinitis penè excedit parasangis, præsertim cum tanto sublimiore feratur in eum amore, quò sublimiorem eius super omnes puras creaturas agnoscit excellentiam

Quanto zelo peculiariter Iesum & Mariam amandi, glorificandi, imitandi flagrare deberes, vt beatissimo eorum consortio, & tanto gaudio eorum gloria in te redundaturo æternum frui posses? An non crebrius corde & ore exclamandum cum pio Alphonso Rodericio: *Iesus & Maria, dulces amores mei, patiar ego amore vestro, totus sum vester, nullus meus?*

III. Quanto demum sublimius gaudium habiturus sit quiuis Electus de infinita & incomprehensibili gloria ipsius SS. Trinitatis, quæ eminentissimè omnium Beatorum felicitatem in se continet, omnemque etiam possibilem infinitorum Beatorum gloriam, quantumuis infinite intensam, & extensam, infinite excedit, vt potè, cum omnis illa creaturarum gloria ex se finita, accidentalis, defectibilis sit: Dei verò gloria infinita, essentialis, indefecti-

fectibilis. Et quidem tanto diuinius & ineffabilius erit illud gaudium cuiusque Beati, quanto amplius & sublimius Creatorem infinite amabilem, præ omnibus creaturis, quantumuis amabilibus, diliget. Vnde rectè D. Augustinus: *Quoniam quantum unusquisque diligit aliquem, tantum de bono eius gaudet. Sicut in illa beata ciuitate unusquisque sine comparatione plus amabit Deum, quam se & omnes alios secum: na plus gaudebit absque estimatione, de felicitate Dei, quam de sua & omnium aliorum secum. Et si Deum sic diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiant dignitati dilectionis: profectò sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, & tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiant plenitudini gaudij. Quam purè, ardentè, constanter, insatiabiliter iure esset Deus à nobis diligendus & glorificandus sine mensurâ in tempore, cum tam inestimabile gaudium ex infinita eius felicitate nos percepturos speremus in æternitate! Zelus honoris & amoris Dei in se alijsque promouendi, & beneplaciti eius amplectendi & exsequendi.*

(. .)

Do-

Dominica Pentecostes.

I. De missione Spiritus sancti. Act. 2.

I. **D**VM complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco. Voluit Christus Dominus vna cum æterno Patre promissum Spiritum sanctum discipulis in cœnaculo montis Sion, quod est typus Ecclesiæ, congregatis, orationi q; intentis mittere ipso die quinquagesimo à Paschate, & resurrectione sua, quo olim lex vetus in monte Sion data recolebatur, ad indicandum 1. à Spiritu sancto non iam in tabulis lapideis, vti olim legem timoris; sed in tabulis carnis seu cordibus hominum describendam imprimendam que legem charitatis. 2. Iam aduenisse tempus gratiæ & remissionis peccatorum, tot sæculis expectatū. 3. Oportere homines præparare corda sua veluti viuos codices, in quibus Spiritus sanctus dignetur inscribere legem charitatis, vti Moysen constat tabulas præparasse, & præiunio inscriptionē legis impetrasse.

O quàm liberalis & fidelis Dominus

Exod. 24.
Ch 32.

nus noster in omnibus verbis suis, qui è carcere mundi huius egressus, & gloria sublimatus, non est oblitus nostri, vti olim pincerna Iosephi: sed statim *Gen. 40.* misit promissum Paracletum, ex infinito amore nostri, ad imprimendam cordibus nostris legem charitatis! Gratitudo, amor, zelus exactè obseruandi legem charitatis erga Deum & proximum.

II. *Factus est repente de caelo, sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, ubi erant sedentes.*

Spiritus sanctus à Patre Filioque missus, venit sub specie spiritûs vehementis, cum sono instar tonitruï: largeq; non solum dona sua, sed seipsum fontem donorum discipulis omnibus & singulis in domo congregatis impertiuit, idq; repente ex infinito amore, & mero beneplacito suo, ad indicandum i. quàm paratus sit gratia sua, quæ *nescit rarda molimina*, animas iustificando viuificare, spiritualem vitam in ijs conseruare, & concupiscentiæ ardores mitigare, sicut inspiratione aëris seu venti vita conseruatur, ardorq; internus mitigatur: imperfectionum nostrarum paleas instar venti difflare, atque ad sublimioris perfectionis

ctionis

ctiois studium vehementer quidem, sed suaviter, impellere. 2. Quam desideret eos, quos ipse sic viuificarit, illuminarit, impuleritque, feruere zelo aliorum quoque salutem ac perfectionem promouendi. 3. Quam promptus sit liberalissimè se communicare omnibus Ecclesiæ filijs, & quidem singulis, abundantè gratia animas singulorū omnesq; potentias sic replendo, vt omnia eorum interiora benedicant Domino. Gratitude, amor, zelus propriæ alienæque perfectionis.

III. *Apparuerunt illis dispersita lingua tanquam ignis, seditq; super singulos eorum.* Voluit præterea Spiritus sanctus hodierna die apparere in specie ignearū linguarum, ad significandum, 1. Se venire in Electorū animas ad purgandas illas, atque instar auri argenti que purificandas a scoria peccatorum, prauorum habituum, inordinatarum passionum: ad illuminandas easdem in mysterijs Fidei compendiosisque vijs omnimodæ perfectionis assequendæ, per assiduum exercitium virtutum: ad inflammandas demum igne perfecti amoris Dei, & proximi, sursum erigendas, totasque in Deum per conformitatem iudicij & voluntatis transforman-

mandas. 2. Se vnice optare, vt animæ, quas ipse sic purificauit, illuminauit, inflammavit, cooperando feruenter communicatæ sibi gratiæ contentur indies euadere seipsis puriores, illuminatiores, amore feruentiores. 3. Se insuper velle, vt communicatis sibi charismatis impensè vtantur in alijs quoque purgandis, illuminandis, accendendis. idque ex eodem infinito amore, eo fine, vt in terris sublimiorem gratiam, in cœlis ampliorem gloriam sibi alijsq; acquirant. Affectus ijdem.

Feria II. Pentecostes.

Sic Deus dilexit mundum. Ioan. 3. II.

I. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Quam inestimabilis illa Dei erga homines vniuersos & singulos, & te, tam ingratum, dilectio, quæ vnde quaque est infinita! Nam dator tanti doni est Pater infinitæ Maiestatis: donum datum, est Filius, Patri coequalis: amor, quo datur, infinitus, est Spiritus sanctus: infinitum enim donum procedere non potuit nisi ab infinito amore, qui idè etiam dari debuit, vt Filius Dei, qui est donum infinitum, daretur: eum amor*

Cc

sit

fit causa omnium donorum. Quis nō
obstupescens hoc donum exclamet cū
D. Paulo: *Gratias ago Deo super inenar-*
2. Cor. 9. rabili dono eius, præsertim si expendat,
quomodo, in quem finem, sit datum?
Gratitudo, amor, fiducia filialis.

II. *Non misit Deus Filium suum in mun-*
dum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur
mundus per ipsum. Qualis ista bonitas
& clementia misericordissimi Dei no-
stri, qui cupit omnes homines, quan-
tumvis ex se filios iræ, tam sublimi
modo saluari, neminem damnari! Af-
fectus ijdem.

III. *Lux venit in mundum, & dilexe-*
runt homines magis tenebras quàm lucem.
Quanta cæcitas & ingratitude eorum,
qui è tenebris peccatorum ideò non
emergunt, non quod auxilia gratiæ
sufficientia non habeant: sed quod re-
nebras suarū concupiscentiarum plus-
quàm veram lucem Evangelicæ perfe-
ctionis, quam Christus intulit mun-
do, diligant. O quàm meritò his ex-
probrat Deus per Oseam: *Perditio tua,*

Ose. 13.

Israel, tantummodo in me auxilium tuum!

Psal. 4.

Et per Psalmistam: Filij hominum, us-
que quò gravi corde, ut quid diligitis vani-
tatem, & quaritis mendacium? Heu
quoties peccatores tenebras luci, va-
nità-

nitatem veritati, creaturam Creatori, diabolum Christo anteponeere non erubescit? Horror peccati, detestatio ingratitude, contritio, compassio.

Feria III. Pentecostes.

Ego sum ostium. Ioan. 10.

III.

I. **C**Hristus Dominus videns à Pharisæis seductorem se haberi, & ^{Ioan. 9.} cæcum à se sanatum, aliosque in se credentes, è Synagoga eijci, & à fidelium numero separari, redarguit eos, ostenditque se non esse seductorem: sed eos omnes seductores esse, qui per ipsum non intrant: eos verò solos legitimos pastores, qui per ipsum intrant: imò nullos esse verè fideles, qui nō intrant per eum, seu, qui nō credunt in ipsum: *Qui non intrat per ostium in ouile ouum, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.* Deinde declarat proprietates & officia legitimi pastoris: *Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt. & proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & ante eas vadit.* Bonus enim pastor debet ab ostiario, id est, à Spiritu sancto intromitti in ouile, seu gregi

gregi pascendo & regendo præfici, & a veris ouibus agnosci. Debet intimè nôlle oues, vt singularum necessitati prospicere possit, pascere easdem verbo & exemplo. Quanta gratia per fidem in Christum aggregari numero fidelium, præseruari a deceptione seductorum, pasci sanâ doctrina legitimum pastorem! quanti meriti prædictas boni Pastoris partes, exemplo Christi, perfectè exsequi? Gratitude, zelus animarum.

II. Cum Pharisei hanc parabolam nõ caperent, Christus illam disertè eis explicat: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet*, quasi diceret, impostores ostium sunt, sed macelli, per quod oues iugulantur. Ego ostium sum ouilis, per quod saluantur: per quod siue ingredienti ad exercitia vitæ contemplatiuæ, siue egredientes ad opera vitæ actiuæ, vel, siue ingredienti in Ecclesiam militantem, siue egredientes per mortem in triumphantem, pascua vitæ æternæ inueniunt.

O quanta charitas Christi, qui dignatus est per Incarnationem, Passionem, & mortem ostium nobis fieri ad vitam gratiæ & gloriæ? Gratitude, amor,

amor, zelus cooperandi gratiæ Christi
in studio perfectionis.

III. *Fur non venit, nisi ut furetur, & perdat: ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Quanta liberalitas Christi, qui ideo cælo descendit, ut vitam gratiæ singulis suis fidelibus, & quidem perfectam & abundantem promereretur, & nisi ipsi obstaculum ponerent, largiter per Spiritum sanctum in eum finem mittendum imperitiretur; sicque tandem ad vitam sublimioris gloriæ eueherentur! quanta porro cæcitas & ingratitude hominū, magis eligentium sequi mundum, carnem, diabolum, & quemuis seductorem mactantem; quam Christum veram Pastorem, vitam gratiæ & gloriæ tribuentem! Gratitudo, amor Christi, odium mundi & amoris proprii.

De gestis ab Apostolis post acceptum Spiritum sanctum in ipso die Pentecostes.

IV.

I. **E**T repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, magnalia Dei. *O mutatio Psal. 76. dextera excelsi!* quanta vis gratiæ Spiritus sancti! Nam 1. repente illius gra-

riæ Spiritus sancti! Nam 1. repente illius gratia sic immutati sunt, vt nihil extra Deum optarent, & quoad omnes potentias animæ, perfecti euaderent, singuli tamen pro capacitate ac dispositione suâ, 2. Donati sunt notitiâ linguarum necessaria ad conuersionem gentium, tanquam Architecti ædificaturi ciuitatem cœlestem, pertingentem ad visionem Dei; sicut olim linguarum confusione à Deo puniti sunt superbi filij Adam, parantes ædificare ciuitatem & turrim, cuius culmen ad cælum pertingeret. 3. Ex timidis, repidis, rudibus facti sunt animosi, feruentes, eloquentes, vt prodeuntes in publicum magnâ cum libertate, magno feruore, magna verborum efficacia, cum stupore omnium, magnalia Dei & mysteria fidei confluentibus turbis prædicare non formidarent. Vis & tu copiosa Spiritus sancti gratia repleti, zelo propriæ perfectionis & salutis proximorum promouenda inflammari? iuxta illud: *Dilata os tuum, & implebo illud*; dilata os animæ tuæ, seu desiderium maioris puritatis, humilitatis, fiducia, deuotionis, & familiaritatis cum Deo.

II. Cum Apostoli varijs linguis magna-

gnalia Dei palam prædicarent, à multis suspiciuntur, attenteque audiuntur; à nonnullis ridentur, & multo pleni putantur, quos modeste redarguit Petrus, indeque captat occasionem illis explicandi mysterium missi Spiritus sancti per Ioëlem prædictum.

Quam necessaria est vero zelatori animarum tolerantia irrisionum, oblocutionum, & constans zelus gloriæ Dei, licet speratus non semper appareat fructus!

III. Petrus tam efficaciter de Christo peroravit, tantâ sapientiâ mysterium eius Incarnationis, Passionis ac Resurrectionis ex Scripturis adstruendo: tanta libertate & fortitudine animi illum verum Messiam, & Filium Dei confitendo: tanto demum zelo ac spiritu hæc omnia auribus auditorum ingerendo, animisque imprimendo, ut compuncti corde dicerent: *Quid faciemus viri fratres?* ac primâ quidem vice tria millia, alia vice quinque millia conuerterentur. O quanta energia verborum ex corde puro, Spiritu sancto pleno, humili, deuoto, igne charitatis & sinceri zeli gloriæ Dei inflammato prodeuntium!

V. De precipuis Officijs Spiritus sancti.

I. Spiritus sanctus missus est, ut operi redemptionis nostræ extremâ quasi manū admoueret; merita Christi infinita singulis applicando. Sicut enim medicus medicamenta ordinat, pharmacopæus ea parat, infirmarius applicat: ita Pater media reparationis nostræ ordinauit, Filius illa præparauit, Spiritus sanctus applicauit. Quàm miris & varijs modis Spiritus Paracletus diuidit singulis, prout vult, varia charismata ex peculiari applicatione infinitorum Christi meritorum! Quoties, & quàm largiter, tibi quoque obtulit, & nunc offert, ex eodem immenso Oceano, fluenta gratiarum! Gratitude, amor, zelus sanctè donis acceptis vtendi.

II. Homines originali labe infectos, per gratiam regenerationis, & relapsos in mortale peccatum, per gratiam iustificationis, ex peculiari intuitu meritorum Christi, purificat, vinificat, sibi que assimilat, iuxta illud Christi:

Ioan. 3.

Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. O quam gratuita gratia sic à Spiritu sancto tam benignè, præ tot alijs pereuntibus, re-
spi-

spici! Gratitude, amor, zelus gratiam sanctificantem acceptam, illibatam conseruandi.

III. Eosdem sic renatos, purificatos, viuificatos, sibi que assimilatos sensim perficit in iustitia, & sanctitate, quantum in se est, internis inspirationibus, illustrationibus, impulsibus ad continuum in triplici via perfectionis progressum extimulando. Nam iuxta D. Bernar. *monet, & docet, & mouet. Serm. de monet memoriam, docet rationem, mouet Pentec. voluntatem; memoria suggerit bona in cogitationibus sanctis, atq; ignauiam nostram, torporemq; repellit, quam inspirat cogitationem, docet in opus proferre, ne vacua in nobis sit gratia Dei; mouet denique, ut ad bonum afficiamur.*

O quoties & tu audis Spiritum sanctum memoriæ hæc & illa media proficiendi suggerentem: rationem illuminantem, modosque varios eadem adhibendi insinuantem, & voluntatem ad executionem inflammantem! Caue ne dissimules, nec contristes eum, cuius vox sonat in auribus tuis.

Gratitude, feruor parendi diuinis inspirationibus, & in spiritu proficiendi.

De septem donis Spiritus Sancti.

VI.

I. **E**X infinita Dei liberalitate anime cuiusque regenerati in Christo, præter virtutes Theologicas: Fidem, Spem, charitatem, infunduntur septem dona Spiritus Sancti: Donum sapientiæ, intellectus, consilij, scientiæ, fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini, quæ à virtutibus sunt distincta; quod hæ sint habitus, per quos rectè operamur; dona autem illa sint qualitates quædam, quæ animam diuinis inspirationibus & motionibus ad insignes quosdam actus excipiendis idoneam reddunt, iuuantque tum ad uitiationem mali, tum ad prosecutionem boni, eamque habent cum charitate coniunctionem, vt cum illa vigente vigeant, illa perditâ pereant.

Quàm varijs, suauibus, & efficacibus medijs diuina bonitas maiorem nostrum in omni perfectione progressum promouere dignatur! quibus, eheu, mortalis infirmitas tam languidè cooperatur! Gratitude, amor, zelus sanctè vtendi his donis & inspirationibus Spiritus Sancti, & horror ea perdendi.

II. Spiritus S. hisce donis suis iuuat
anti-

animam in declinando & exterminando malo, ex gratuita bonitate sua, ad præseruandam illam à lapsibus, atque ab impedimentis maioris perfectionis expediendam. 1. Per donum sapientiæ fastidium diuinorum tollit, & appetitum terrenorum frenat, diuinas suggerendo rationes, vt diuina magis sapiant, terrena desipiant. 2. Per donum intellectus dubia, obscuritates & perplexitates circa res fidei, submouet, torporemque ad credendum & sperandum excutit, nebulas dissipando, clarius lumen, pacem, & gaudium infundendo. 3. Per donum consilij in subitis tentationibus à periculo lapsus præseruat, expeditam rationem euadendi suggerendo. 4. Per donum scientiæ Dæmonis imposturas, carnis & mundi fallacias, ne illaqueemur, detigit. 5. Per donum fortitudinis mentem roborat, vt subire malit quæuis damna temporalia, quàm diuinam peccato quouis incurrere offensam. 6. Per donum pietatis ad proximis compatiendum, eorumque onera in charitate supportanda duriem cordis emollit. 7. Per donum timoris Dei, motus superbiæ & arrogantia reprimat. Affectus ferè ijdem.

III. Ex simili gratuita dilectione sua Spiritus sanctus, iisdem septem donis promouet animam ad maiorem in omni perfectione progressum. 1. Per donum sapientiae animam disponit, eleuatque ad diuinas perfectiones, cum gustu affectuque amoris subtilius intelligendas. 2. Per donum intellectus ad veritates mysteriorum fidei, altissimasque in eis latentes rationes profundius penetrandas, firmitusque credendas, cum piarum cogitationum, affectuumque affluentia. 3. Per donum scientiae ad res creatas euidentius capiendas, quatenus à Deo, & in se sunt, atque ad Deum ducunt, moresque formant. 4. Per donum consilij in particularibus casibus opportuniora, & efficaciora media profectum spirituales promouendi edocet. 5. Per donum fortitudinis perficit hominem ad ardua queque pro diuino obsequio intrepidè aggredienda. 6. Per donum pietatis, vt erga Superiores se tanquam filium, erga inferiores veluti matrem, erga æquales vt fratrem gerat. 7. Per donum timoris Domini, vt erga Deum reuerentiam, filialem timorem, cum amore & zelo glorie eius coniunctum conseruaret, in diesque augere latagat.

Hæc

Hæc expendens, quis non obstupescat tantam Spiritus sancti sic nos illustrantis, sic impellentis sedulitatem? quis non totus exardescat amore tam benigni Paraleti, tam amabilis Sponsi, & zelo eius inspirationes, impulsusque sollicitè sequendi; exclametq; cum Sponsâ: *Surge Aquilo, & veni Aster, perfla hortum meum, ut fluant aroma- ra illius?* Affectus ijdem: Cant. 4.

De apparitione Spiritus sancti, sub tri- VII.
plici specie: Columba, Nubis,
Ignis.

I. Spiritus sanctus voluit in nouo Testamento apparere, & Christo testimonium perhibere in specie columbæ in Baptismo eius, ad denotandas eximias virtutes, quas nos cupit in Christo æmulari, quasque ipse nobis paratus est instillare, cuiusmodi sunt, eximia innocentia, simplicitas, puritas, mansuetudo, compunctio, compassio, quæ per proprietates columbæ adumbrantur.

Quàm miris & suauibus modis Spiritus sanctus Apostolos, Electosque reliquos, ductum suum sequentes, ad columbinam simplicitatem, Angelicâ puritatem, heroicamque inordinata-

rum passionum victoriam perducere consuevit? Vis & in te hoc ipsum luculentius experiri, ne pigeat te eius instinctus sequi. Amor, zelus sequendi ductum Spiritus sancti in studio maioris animæ puritatis.

II. In transfiguratione Domini apparuit idem Spiritus sanctus in specie lucidæ nubis ad indicandos effectus, quos in viris Apostolicis esset editurus, peculiari gratia sua sic eos à terrenis elevando, sic illuminando, sic fecundando, sic impellendo, ut instar leuium, lucidarum, fœcundarum nubium mundum vniuersum percurrerent, fulgore vitæ & doctrinæ suæ illuminarent, irrigarent, atque ad proferendos veros pœnitentiæ, omniumque virtutum fructus fœcundarent.

Quàm eximiè id præstitere Apostoli, & viri Apostolici, qui iuxta impulsu Spiritus sancti longè lateque Euangelium disseminarunt, quos merito homines & Angeli admirarentur: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant? In omnem terram exiuit sonus eorum. Quin & tu illos, pro modulo tuo, æmularis in zelo propriæ perfectionis, & gloriæ Dei, & salutis animarum?*

Isa. 60.

Psal. 4.

III. De-

III. Demum in Pentecoste in linguis igneis apparere dignatus est, ad significandos præcipuos affectus, quos in Apostolis, virisque Apostolicæ perfectionis studiosis operaturus esset, inflammando eos amore Dei, & proximi, zelo diuinæ gloriæ, & salutis animarum propagandæ, simulque ijs impertiendo gratiam miraculorum, notitiam omnium linguarum, diuinam eloquentiam, & sapientiam necessariam ad mundi conversionem.

Quàm abundè hos effectus edidit in cordibus Apostolorum, totq; aliorum Apostolicum spiritum æmulantium, quorum omnia dicta, facta, mores, gestusque omnes ignem spirare, ignitasque linguas referre videbantur! O quàm potens est ille ignis Spiritus sancti, qui in momento totum hominem in se transformat! Zelus proficiendi in amore Dei, & proximi.

In Festo SS. Trinitatis.

De amore SS. Trinitatis erga quemuis Electum.

Domin.
Trinit.
I.

Ex medit.

I. **D**EUS vnus in essentia, & trinus *de amore* in personis, in seipso infinite *spirituali* beatus, se infinite comprehendens, in- *S. Ignatij* finitè *p. I.*

finitè amans, infinitè seipso cum inef-
 fabili gaudio fruens, te, inter ceteros
 Electos, vt speras, ab æterno benignè
 respexit, peculiariter amauit, & mise-
 ricorditer decreuit te infinitæ suę bea-
 titudinis consortem facere, vt eum
 beatè videres, amares, possideres æter-
 num: & quidem per hæc illa media,
 ad talem gradum beatitudinis, tā sua-
 uiter & efficaciter perducere; insuper
 tot modis seipsum tibi dare in Patrem,
 in Redemptorem, in Sponsam, idq; ex
 gratuita bonitate & misericordia sua:
 & consequenter Pater ab æterno sta-
 tuit te sic creare, dotare, conseruare, in
 filium peculiarem adoptare; Filius sic
 redimere, sic merita tua tibi speciali-
 ter applicare, sic in fratrem & cohære-
 dem regni asciscere; Spiritus sanctus
 sic vocare, sic iustificare, sic in Spon-
 sam assumere, dono perseuerantiæ co-
 ronare. O quantus ille amor! quàm
 immensus, sublimis, æternus, incom-
 prehensibilis! an non simili amore fo-
 ret, si fieri posset, meritò compensan-
 dus? Amor, Gratitude, zelus gloriæ
 Dei.

II. Idem Deus, trinus & vnus, in rem-
 pore, ex eadem gratuita benignitate
 sua, tam peculiariter, te respicere, &
 quasi

quasi manuducere ad prædestinatã gloriã hucusq; dignatus est? Pater quidem, non solum te creando, dotando, conseruando; sed insuper seipsum totum tibi in Patrem amantissimum tradendo, & veluti dilectissimo filio, omnia necessaria corporis & animę subsidia, tam paternè, prouidendo; Filius, non solum sic te redimendo, tam copiosè pretium suorum meritorum tibi applicando, sed insuper seipsum tibi in fratrem per Incarnationem, in eduliũ per SS. Eucharistię participationem dādo, arētissimeque vniendo, Spiritus sanctus non solum te iustificando, tot charismatis ornando, tot diuinis inspirationib. in viã perfectionis promouendo; sed etiam seipsum fontem gratiarum tibi communicando, teque in electã Sponsam sibi assumendo.

O quã inæstimabilis & ille talis Patris, talis Fratris, talis Sponsi amor! qualem à te tam ingrato filio, tam indigno fratre, tam inæquali sponsa exigis amoris, gratitudinis, zeli honoris eius propagandi, beneplaciti exequendi excessum.

III. Idem Deus paratus est hunc tam peculiãrem æternæ dilectionis affectũ Patris, Fratris, Sponsi erga te continuare.

nuare

nuare æternum, modò tu erga ipsum te bonum filium, gratum fratrem, fidelem sponsam præstare velis; seipsum tibi, ineffabili modo, in præmium dando, suæque infinite beatitudinis te pervisionem, amorem, & fruitionem beatificam participem reddendo. O quàm incomprehensibilis illa infinita Dei beatitudinis participatio! At quanto incomprehensibilior tanta Dei hanc conferentis dilectio? Affectus ijdem renouandi.

II. *Quod homo peculiariter sit simulacrũ,
seu imago, templum, & speculum
SS. Trinitatis.*
Ex eadem
medit. de
amore spi-
rit S. Ignatij,
rij, p. 2.

SANCTISSIMA Trinitas voluit hominem, præ ceteris creaturis, sibi simillimum condere, & viuum sui referre simulacrum, ad demonstrandum præclarissimum suum erga eundem amorem. Nam sicuti in SS. Trinitate vna est natura diuinâ, & tres personæ inter se realiter distinctæ; sic in homine vna est anima spiritualis, & tres spirituales potentia, memoria, intellectus, & voluntas. Et sicut Deus se intelligens producit verbum; Pater & Filius se mutuò diligentes, spirant Spiritum

ritum sanctum ; sic homo intelligens, producit verbum mentis, seu expressam speciem & similitudinem rei intellectæ, & per amorem efficit in se inclinationem in rem amatam. Si ergo SS. Trinitas sic dilexit hominem, vt imaginem suam illi imprimere dignaretur ; quanto studio entendum foret homini, vt in illam totus per iugem eius recordationem, contemplationem, & amorem transformaretur ? quàm æquum esset, totam memoriam SS. Trinitate, diuinis eius attributis, beneficijs, & operibus ruminandis, intellectum ijsdem reuerenter profundeque expendendis, suspiciendis, magnificandis ; voluntatem affectibus admirationis, gratitudinis, amoris, alijsque sanctis desiderijs, Deum in omnibus & super omnia glorificandi iugiter, prout status præsentis vitæ patitur, eliciendis occupari ? Feruor reuerendi, amandi, & glorificandi SS. Trinitatem omni meliori modo per memoriam, intellectum, voluntatem.

III. Eadem SS. Trinitas voluit hominem assumere sibi in præclarissimum templum & sacrarium, in quo habitaret in tempore, non solum communi

muni

muni more per essentiam, potentiam, præsentiam, vti & in ceteris creaturis, sed modo etiam multò sublimiore,

1. Per gratiam sanctificantem, quâ homo diuinæ efficitur consors naturæ.
2. Per SS. Eucharistiæ participationem, in qua, vti non solum humanitas Christi, sed & diuinitas, ita & SS. Trinitas per naturalem concomitantiam homini vnitur.
3. Per nimiam familiaritatem & obstupescendam peculiarem suæ præsentiae suauitatem, quam in deuotionis exercitijs subinde sinceris seruis suis communicare dignatur?

Quanta sollicitudinæ meritò ab omni corde expurgandum, eximio omnium virtutum splendore exornandum, exquisito exemplaris conuersationis odore iugiter implendum foret illud templum, in quo habitare dignatur SS. Trinitas? Amor, zelus proficiendi in triplici via perfectionis, praxis exercitij præsentiae Dei.

III. Demum eadem SS. Trinitas dignata est hominem eligere in speculū itidem peculiarissimum, in quo in æternitate clarissimè relucere diuinæ eius perfectiones, maximè infinita Potentia Patri, Sapientia Filio, Bonitas Spiritui sancto peculiariter attribui

foli-

solita, atque à tota cœlesti curia æternum suspicerentur, amarentur, glorificarentur. Quam mirè enim hæc omnia resplendebunt in humana natura, tam potenter condita, tam sapienter reparata, tam misericorditer iustificata? tam mirabiliter in gratia conseruata? tam liberaliter gloria coronatâ?

O quanta illa dignitas hominis, quanta dignatio SS. Trinitatis! quanta ergò contentione cuique ad laborandum esset, vt, per assiduum studiũ eximix perfectionis, eximium consequeretur gradum gratiæ sanctificantis? quò enim maior in hac vita euaserit in gratia, eò lucidius euadet speculum perfectionum SS. Trinitatis in futura. Gratitude, amor, zelus eximij profectus in omni perfectione.

*De dignatione Creatoris cooperantis
cum Creaturis.*

III.

*Ex eadem
medit. p. 3.*

I. **S**ANCTISSIMA Trinitas, cuius opera, ad extra, sunt indiuisa, non solum te, omnesque creaturas in seruitium, solatiumque tuum conditas, quoad esse & posse naturale, conseruat; sed etiam cum omnibus & singulis earum, vti & tecum in omnibus & singulis actionibus naturalibus coopera-

pera-

peratur per concursum suum ordinarium, quem omnibus agentibus naturalibus, tam necessarijs quam liberis proportionatum promptissimè offert: idque ex gratuita bonitate sua, eo fine, ut tu illo sanctè utaris ad finem tuum ultimum maioris gratiæ & gloriæ consequendum.

Quanta illa dignatio Dei tui tecum in omnibus phycis memoriæ, intellectus, voluntatis, aliarumque potentiarum & sensuum operationibus quodammodo laborantis, imò per omnes aliarum creaturarum tam rationabilium, quàm irrationabilium operationes te instruens, adiuuans, oblectans; per magistrorum voces erudientis; per lumen Solis, Lunæ, Stellarum, ignis te illuminantis; per colores visum, per sonos auditum, per odores olfactum, per sapes gustum, per aeris temperiem tactum recreantis; per ignem, solem, vestes calefacientis; per ventum refrigerantis; per eibum, potum, somnum vires reficientis.

Hæc expendens, an nō admirandum meritò exclames: *Quomodo delectare me, in factura tua, & in operibus manuum tuarum dignaris Deus meus? Omnia ossa mea dicant: Domine, quis similis tibi?*

sibi? Quanta ergò reuerentia, filiali timore, amore, zelo eximię perfectionis seruiendum tali Domino, qui sic collaborare dignatur cum tali mancipio? Admiratio, amor, feruor proficiendi.

II. Idem Deus trinus & vnus similiter cooperatur tecum, & cum omnibus agentibus liberis, in omnibus & singulis cogitationibus, desiderijs, & actionibus bonis ac meritorijs, non solum per generalem præfatam concursum, sed etiam per peculiarem influxum gratiæ præuenientis, comitantis, subsequenter, quem tam liberaliter vtrò etiam non rogatus offert; ad omnia & singula bona desideria & opera, gratia excitante impellendo, eadem cœpta gratiâ comitante prosequendo, & gratia subsequente perficiendo, idq; ex eadem gratuita dilectione sua ad augendum meritum viæ, & brauium patriæ.

Quantò illa dignatio admirabilior priore! quàm longè excedit omnem paternam, maternamq; prouidentiam ac sollicitudinem in filijs, ad maiores diuitias & honores prouehendis? Quã promptum paratumq; animum ad omnem eius nutum te fingendi formandiq; vicissim exigit! quid enim æqui-

æquius, quam vt in omnibus diuinæ
eius te accommodes voluntati, qui se
tuæ tam promptè accommodare di-
gnatur? Gratitude, amor, feruor co-
operandi gratiæ, & se totum diuino
perfectè impendendi obsequio.

III. Demùm idem benignissimus Do-
minus tecum, & cum Beatis omnibus
in cœlesti patria cooperari dignabitur
in omnibus internis externisque acti-
bus, quoscumque elicient in omnem
æternitatem: cum singulorum memo-
ria, intellectu, voluntate, alijsque po-
tentijs & sensibus gloriosi corporis
concurrente ad eliciendâ, æternumque
continuandam visionem, amorem &
gaudium beatificum, omnisque glo-
riæ & gaudij accidentalis tam animæ,
quàm corporis perfruitionem.

An non hæc postrema dignatio tan-
tò adhuc prioribus mirabilior, quan-
tò felicior, diuturnior, diuinior? quâ
æquum, vt te totum in tempore eius
impendas gloriæ, qui se totum in
æternitate impendet tuæ?

Affectus ijdem.

(:.)

Quod

Quod Deus sit fons perennis omnis bonitatis & perfectionis in Creaturis elucescentis.

IV.

Ex eadem
medit. p. 4

I. **D**EUS est abyssus infinita omnis essentiae, bonitatis, & perfectionis, etiam possibilis, omnium possibilium creaturarum, & fons perennis omnium bonorum, quae in creaturis reperiuntur, cum illa omnia eminentissimè in se contineat. Est enim *lux super omnem lucem, quam non capit oculus: vox super omnem vocem, quam non capit auris: odor super omnem odorem, quem non capit naris: dulcor super omnem dulcorem, quem non capit gustus: amplexus super omnem amplexum, quem non capit tactus.* Est Potentia, Sapientia, Fortitudo, Pulcritudo, Suavitas, Bonitas, Amabilitas, quam non capit vllus creatus intellectus. Quanta ergo caecitas mortalium tantam Dei bonitatem non amantium, imò futilem creaturae euanidamque bonitatis speciem veræ infinitæque bonitati Creatoris postponentium? Si enim à caecis mundi amatoribus tanto perè diliguntur diuitiae, honores, voluptates, propter aliquam exiguam bonitatem, pulcritudinem, suauitatē,

D d

excel-

excellentiam in ijs apparentem: quid
 si illa bonitas, pulcritudo, suauitas, ex-
 cellentia, duplo, decuplo, centuplo,
 millecuplo maior redderetur, an non
 duplo, decuplo, centuplo, millecuplo
 plus diligeretur? quod si infinite in-
 tenderetur, an non infinite amplius
 diligeretur? En talis infinita bonitas,
 pulcritudo, suauitas, excellentia, & o-
 mnis generis amabilitas est Deus no-
 ster, in quo viua sunt omnia, quæ in
 creaturis ab ipso veluti eximio picto-
 re, depicta, & sic efformata sunt, vt vi-
 ua appareant, licet figuræ sint potius,
 non rei veritas, iuxta illud: *Præterit fi-
 gura huius mundi.* Et tamen, cheu, to-
 ties tam parui æstimatur, tam frigide
 amatur, tam facile contemnitur! Hanc
 si vel semel intueri liceret, quomodo
 omnis creata pulcritudo, suauitas, ex-
 cellentia sorderet? nunquam sanè no-
 bis cum beatis comprehensoribus ab
 ea contemplanda, suspicienda, aman-
 da, vel ad momentum mentem affe-
 ctumq; abstrahere liberet, ne quidem
 ob lucrandum omnium possibilium
 oblectationum, quæ ex creaturis et-
 iam possibilibus hauriri possent, æter-
 nam fruitionem! Amor Dei, zelus eius
 obsequio se totum mancipandi.

II. O.

II. Omnis perfectio, pulcritudo, bonitas, suauitas, excellētia, quæ in creaturis vllis vsquam reperta est, & reperitur, est guttula quædam deriuata ex immenso pelago omnis perfectionis, pulcritudinis, bonitatis: ac proinde nullo modo diligenda propter se, nec vt finis vltimus intendenda, sed propter Deum fontem inexhaustum, ex quo emanauit, & prout ipse vult, diligenda est, atque in ipsam, velut vltimum finem, referenda.

Quam sanctè ergò bonitate, suauitate, excellentia creaturarum in subsidium tuum conditarum vt te oporteret, ex ijs ad creatorem agnoscendum, amandum, glorificandum ascendendo: ijsdem veluti adminiculis maioris gratiæ & gloriæ acquirendæ in decurrendo stadio perfectionis innitendo? Zelus Deum in creaturis, querendi, amandi, glorificandi, ijsque sanctè secundum diuinum beneplacitum vtendi.

III. Quicquid in te est boni naturalis, vel supernaturalis: quicquid bonæ valetudinis, roboris, indolis, ingenij, scientiæ, prudentiæ, eloquentiæ: quicquid bonæ voluntatis, gratiæ, donorum gratis datorum, id totum

similiter guttula est perexigua gratis in te deriuata ex infinito omnis boni Oceano; ex gratuita eius liberalitate, in eum finem, vt ipsum auctorem omnium donorum agnoscas, ames, glorifices, acceptisque talentis ad illius gloriam, tuam, proximorumque salutem promouendum strenuè vtaris.

Quàm æquum igitur est, vt in mare illud immensum refluant, ex quo fluxere, omnium tibi communicatarum flumina gratiarum? Vt te ipsum totum cum omnibus animæ & corporis dotibus tibi cōcessis in solidum impendas seruitio eius, à quo quicquid es, quicquid habes, quicquid potes, gratis accepisti? Amor, feruor corpus & animam diuino obsequio promptè consecrandi, & constanter impendendi.

In Festo Corporis Christi.

v. *De causis institutæ huius solemnitaris.*

I. **V**oluit æternus Pater solennem hanc Theophoriæ celebritatē, instinctu Spiritus sancti, ab Ecclesia Christi Filij sui Sponsâ toto orbe institui, ac festiuis gaudijs frequentari.

1. Vt debitus honor sanctissimæ carni Saluatoris nostri per publicas vias in
pas-

passione summa cum ignominia ducti, pro tot opprobrijs toleratis, aliquo saltē modo, etiam in hoc mundo, redderetur: dum adorandus publicè cum solenni pompa per plateas vicosq; circumducitur: vti olim Iosepho è carcere liberato, & à Pharaone exaltato contigit. Et Mardocheo, cui acclamatum: *Hoc honore condignus est, quem- Hester. 6. cuiusque rex voluerit honorare.*

Mirabilis sanè fuit exinanitio SS. carnis Christi patientis, dum nouissimus virorū, imò vermis & non homo ^{Isa. 53.} est reputatus. At multò mirabilior eiusdem apparet exaltatio in hoc sacramento, dum non solum ab omnibus adoratur: sed insuper ipsa Diuinitas, vt pedissequa, cum sit domina, eandem carnem honoris caussa concomitari dignatur. ^{Psal. 21.}

Quanta ergo promptitudine huic sanctissime æterni Patris voluntati obsecundandū! quanto perè de omni honore & obsequio Christo hodie deferri solito cogaudendum, atque, vt latius eius cultus toto orbe propageretur, optandum? Zelus gloriæ Christi.

II. Vt omnes fideles agnoscerent hoc diuinissimum Sacramentum eximium esse beneficium, ex infinito amore pro-

festum, ideo voluit ab Ecclesia exultabunda tantum munus acceptum in manibus circumgestari, omnibusque cum iubilo ostentari. Sicut enim *Gen. 24.* becca in aures & armillas sibi à procuratore Abrahamæ datas suis ostendebat, & *Ruth, 2.* Ruth spicarum in agro Booz collectarum tres modios socru suæ deferebat: ita Ecclesia hodie ostendit tres modios in agro Dominico collectos, corpus, animam, & diuinitatem Christi, quæ sunt tria sata farinæ, quæ Maria commiscuit sua gratia, omnesque inuitat ad gratias secum agendas Saluatori, qui, non uti Ioseph in Ægypto, frumenta in tempus sterilitatis recondidit, sed seipsum panem de cælo verum famelico mundo exhibere dignatus est. Gratiarum actio, de tanta eius liberalitate exultatio.

III. Ut omnes agnoscerent, & reipsa faterentur, tantam esse bonitatem & liberalitatē Saluatoris nostri, hoc tam inenarrabile infiniti amoris sui monumentum Ecclesiæ suæ militanti in discessu suo ex hoc mundo relinquentis, ut nullo obsequiorum genere possit dignè compensari: ideoque omnes sese inuicem festiuis plausibus, canticis, tripudiis, omniq̃ue musicorum instr-

strumentorum, odoramentorum, & ornamentorum apparatu ad summum quem possunt, illi cultum deferendum prouocarent, illud sibi inuicem occinientes: *Benedicentes Dominum, exalte Eccl. 43. te illum, quantum potestis; maior est enim omni laude.* Quanto proinde studio nos omnes, pro modulo nostro, æmulari oporteret beatos Ciues Ierusalem cęlestis, coronas suas ad pedes Agni immaculati nos abluentis in Sanguine suo deponentes: *Sanctus, sanctus, san- Apoc. 4. ctus, qui est, qui erat, & qui venturus est,* absque requie vociferantes: phialas odoramentorum plenas offerentes: per plateas eiusdem beatę Ierusalem perpetuum *Alleluia* cantantes: intima Tob. 13. mę humilitatis, reuerentię, adorationis actus eliciendo; laudis & gratiarum actionis affectus frequentando: phialam cordis plenam odoramentorum thuris & myrrhę, id est, feruentis orationis, & mortificationis offerendo? His expensis memorati affectus subiungendi.

De Euangelio. *Caro mea verè est*
cibus. Ioan. 6.

VII.

I. **C**Hristus Dominus immenso erga nos flagrans amore, nosq; vicif-

D d 4

Am.

sim in amorē sui trahere cupiens, cum
 supra omnia beneficia collata seipsum
 nobis dedisset, nec, quod ultra daret,
 restare videretur, nihilominus inuenit
 diuersos modos, quibus se nobis exhi-
 beret, & ex seipso quasi diuersos con-
 fecit cibos, quos veluti diuersa sui ipsi^o
 fercula proponeret. Factus est enim
 nobis via, veritas, & vita, rex, dux, sa-
 cerdos, sacrificium, pastor, medicus,
 doctor, pater, frater, sponsus, iustitia,
 sanctificatio, & redemptio: insuper ci-
 bus noster fieri voluit: *Care mea vere
 est cibus.* O quàm miræ adinventiones
 infiniti illius amoris, quas exultabun-
 dus in spiritu præuidens Haïas excla-
 mat: *Confitemini Domino, & inuocate no-
 men eius, notas facite in populis adinuen-
 tiones eius.* quàm enim mira illa digna-
 tio Dei nostri, cū cibus esset infinitus,
 vt cibus hominū conueniens esse pos-
 set, exinaniuit se factus homo, splen-
 dorem diuinitatis velamine assumptæ
 humanitatis cōtegens: insuper in hoc
 Sacramento amplius exinaniuit se, di-
 uinitatem simul & humanitatem sacra-
 mentalibus speciebus occultans, vt
 hac ratione per modum cibi, sine hor-
 rore, à nobis sumi posset. Admiratio,
 amor, zelus intimæ cum Deo vnionis.

II. Chri-

II. Christus ideo voluit cibus noster fieri, vt intimè se nobis vnire posset, ad eum modum, quo cibus cibato arctissimè vnitur: vnde ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Sicut enim cibus cum cibato, & cibatus cum cibo sic coniungitur, vt vnum in alio sit: *Sicut Cyril. cum cera liquefacta alia cera superinfunditur, altera cum altera tota commiscetur, c. 14. in sic, qui carnem & sanguinem Domini recipit, ita cū ipso coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Et sicut paruum fermenti totam massam fermentat, sic paruula benedictio totum hominem in seipsam attrahit, & sua gratia replet. Sicque impletur illud D. Augst. inspiratum: *Cibus sum grandium, cresce, & māducabis me, nec tu me mutabis in re, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me.* Lib. 7. Confess. c. 10.*

Quanta ergò sedulitate intima cum Christo vnio, non tantum, quoad realem eius nobiscum coniunctionem: sed etiam quoad voluntatum, conformitatem quærenda, conseruanda, & augenda per assiduum studiū maioris perfectionis! quanta sollicitudine præcauēda quæuis ab illo per lethale peccatum diuulsio! quam enim horrendam carnificinam is exerceret, qui ci-

D d s. buna

bum iam in substantiam cibati conuersum à singulis membris abstrahere attentaret? non minorem, imò multo atrociorē carnificinam Christo intentant, quisquis per quoduis mortale delictum Christum in SS. Eucharistiā susceptum à se diuellere nō formidat. Amor zelus maioris cum Christo vniōnis, & horror cuiusuis ab eo per peccatum separationis.

III. Demum voluit se nobis Christus in cibum dare, vt instar eibi vitam nobis tribueret, conseruaret, augeterque; nec qualemcunque, sed vitam gratiæ & gloriæ, & quidem æternam; vitam, inquam, similem suæ, quā ipse viuit propter Patrem, vnde ait: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, viuet propter me.* quasi diceret: Ego, quā Deus, viuo eadem vita diuinā, quā Pater viuit, quā ille à se habet, ego ab illo per æternam generationem accepi: Sicut ergo ego vitam diuinā habeo à Patre, sic & qui manducat me, vitam gratiæ & gloriæ à me habebit. vel: sicut ego viuo vita diuina propter vniōnem hypostaticā, infinitamq; gratiam & gloriam, quam suscepi à Patre: sic qui manducat me, viuet vita mea propter humanitatem meam.

meam assumptam, per quam omnibus hominibus coniungor. Quam miravis huius diuinissimi cibi, cuius opem vilis homuncio non in regem terrenum, sed quodammodo in Deum euadit, & iam non vita sua, sed vita Christi Filij altissimi viuit! Gratitude, amor, zelus eximie perfectionis.

De amore Christi, quo hoc Sacramentum instituit.

VIII.

I. **C**Hristus instituendo hoc sacratissimum Sacramentum satisfecit immenso suo, non solum erga vniuersos, sed etiam erga singulos homines amoris; qui cum infinitus esset quiescere non poterat, donec seipsum singulis in hoc mysterio daret, sicut se totum vniuersis in Incarnatione dederat. Reliqua enim omnia, quae ex amore dedit, aequalia non erant eius amoris: ipse solus aequalis est amoris suo immenso, infinito, aeterno, incomprehensio, quem typice prefigurabant panes propositionis, qui *I. Reg. 27.* calidi esse debebant. O quam ingens, intensum, perenne, & insatiabile mutui amoris a nobis reposceret incendium, tam inenarrabile amoris Christi prodigium! Gratitude, amor.

II. Satisfecit eadem opera ex eodem

Dd 6

amo-

amore, votis ac desiderijs omnium & singulorum in tempore, dum se omnibus & singulis præsentem exhibet, paratumq; offert ad omnium & singulorum necessitates subleuandas, languores curandos, mœrores abigendos, ad cœlestes gratiarum & consolationum thesauros singulis in vita & morte impertiendos. O qualis excessus amoris amantissimi Regis nostri, qui voluit præsens adesse Sponsæ suæ Ecclesiæ, nō in vno solum loco, sed in omni oppido, in omni domo, in quouis fideli, seu membro Ecclesiæ, & quidem intra corpus cuiusque habitare, eiusq; cordi & visceribus adhærere!

O quanta illa Ecclesiæ dignitas, & cuiusque fidelis felicitas? Verè non est alio natio tã grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. Gratitude, amor, reuerentialis timor erga Christum.

III. Satisfecit itidem ex eodem infinito amore omnibus desiderijs nostris in æternitate, dando nobis ex hac vita migraturis, non modò pretiosissimum viaticum, præsentissimum solatium, tutissimumq; præsidium, sed insuper certissimū pignus gloriæ æternæ, quoad corpus & animam secum partici-
pan-

pandæ, dum ait : *Qui manducat hunc panem, viuet in aeternum.* Et : *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Ioan. 6.

O quàm felix sors fidelis crebrius dignè communicantis, seque intimè Christo vnientis, à quo tam certò, & securè expectat in omni necessitate præsidium, gratiæ augmentum, perseuerantiæ donum, gloriæ brauium ? Gratitude, amor, zelus piè SS. communionem frequerandi.

Dominica infra Octau. Corporis Christi.

De diuite epulone & Lazaro. Luc. 16. I.

I. **E**Xpende. quàm dispar fuerit cōditio diuitis epulonis & mendici Lazari : Epulo superbus, gulosus, avarus bysso induebatur, quotidie splendide epulabatur, nihil pauperibus largiebatur, à mundo felix predicabatur, à Deo reprobus & infelix habebatur : At Lazarus abiectus, famelicus, penè nudus ante ianuam diuitis iacebat, micæ cadentes de mensa diuitis frustra medicabat, vlceribus horrebat, quæ à nullo curabantur, sed à canibus lambe-

bantur, infelix habebatur à mūdo, sed felicissimus prædicabatur à Christo.

Quis hæc expendens voluntariam paupertatem, dolorum, & ærumnarū rolerantiam, suiq̄ue despicientiam non longè præferendam censeat, affluentia opum, voluptatum, honorum? Contemptus omnium, quæ mundus amat, & amor omnium, quæ mundus odit, & Christus diligit.

II. Quàm dispar fuerit vtriusq̄ue exitus: iste in peccatis suis perseverans, & in multitudine diuitiarum suarum sperans est mortuus, & in inferno à diabolis sepultus: hic ab omni labe imperfectionum expiatus, & in camino paupertatis excoctus similiter mortuus est, & in sinum Abrahamæ ab Angelis deportatus. O quam horrenda mors amatorum mundi? quam optanda mors imitatorum Christi? Affectus ijdem.

III. Quàm demum dissimilis sit vtriusq̄ue fors in æternitate: iste æternum torquetur & vociferatur: Crucior in hac flamma: hic æternum lætatur & satiatur ineffabili gloria. Elige nunc vel diuitē epulonem in vita æmulari, æternūq̄; cū illo cruciari; vel Lazarū; in vita imitari, æternūq̄; cū illo lætari. Affectus ijdem.

DE

De Præstantiâ SS. Eucharistiæ ex com-
paratione eiusdem cum mannâ.

I. **M**anna datum Israelitis in deser-
to, quod Angelorum ministe- *Exod. 16.*
rio paratum in similitudinem pruinae *Num. 11.*
cadebat super terrâ, frangebatur mola
& coquebatur in olla, non conferebat
animæ vitam spirituales, nec corpori
eternam, sed naturalem tantum vitam
conseruabat. At panis hic mysticus
nobis è cœlo datus, qui opera Spiritus
sancti paratus est in vtero D. V. attri-
tus mola laborum, subactus aqua tri-
bulationum, persecutionum, tormen-
torum, excoctus igne charitatis in ca-
mino Crucis, spirituales vitam ani-
mæ, & corpori olim vi participatio-
nis huius immortalis alimonie resus-
citando æternam præbet, iuxta illud
Christi: *Patres vestri manducauerunt* *Ioan. 6.*
manna in deserto, & mortui sunt. Hic est
panis de cœlo descendens, ut, si quis ex ipso
manducauerit, non moriatur. Et: Qui
manducat meam carnem habet vitam æ-
ternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo
die. Quantò ergò hic cœlestis panis
veteri manna dignior; quantò proin-
de maiori reuerentiæ, gratitudinis, a-
moris, deuotionis affectu sumendus?

II. Man-

Psal. 104

II. Manna vetus erat salutiferum, à morbis corporis Israelitas præseruans. Vnde non erat in tribubus eorum infirmus, occasione illius cibi, mortem tamen corporis non arcebat, nec ægritudines animæ curabat: At nouum nostrum, & verum manna, est pharmacum immortalitatis, quod & animam à spiritualibus morbis præseruat, languores cōtractos curat, insuper & corpori resuscitando immortalitatē communicat. Nam si dignè sumatur, peccatorum venialium maculas eluit, gratiam eas deinceps cauendi tribuit, tentationum impetus frangit, passionum indomitaram vim reprimat, corpori, cui vnitur, gloriosæ resurrectionis spem impertit.

Quanta ergo fiducia, gratitudine ac deuotione ad hoc diuinissimum Alexipharmacum nobis tot morborum generibus in hoc exilio obnoxijis, accurrendum?

Sap. 16.

III. Manna erat ex natura sua vnus saporis, videlicet, quasi panis oleati, sed ex diuina gratia & prouidentia bonis & electis præstabat omnē saporis iuauitatem. Deseruiens enim vnus cuiusque voluntati, ad quod quisq; volebat, conuertebatur. At nostrum hoc cœleste manna pa-

na palato quidem sapit panem: sed spiritui omnes diuinarum deliciarum suauitates. In huius enim participatione cibi mens deuota, omnes, quos experit, affectus, sensus, gustusque spirituales compunctionis, humilitatis, gratitudinis, amoris, deuotionis, zeli omnes diuinarum illustrationum, impulsuum, uisitationum thesauros absconditos inuenit.

Quanta ergo auiditate ad hanc celestem mensam, in qua omnes coelestes deliciae proponuntur, nobis anhelandum? quanta cura & sollicitudine animarum nostrarum sinus omnes ab omni imperfectionum puluere excutiendi, omnium uirtutum ornatu instruendi, & frequentatis piorum desideriorum & amoris affectuum flatibus dilatandi, ut diuinissimis hisce delicijs largè mereantur impleri? Gratitude, amor, desiderium crebrius, praemissa accurata praeparatione deuotè communicandi.

*Quod sit memoriale & compendium
omnium mirabilium Dei.*

III.

CHristus Dominus hoc diuinissimum Sacramentum tanquam uiuum ac perpetuum monumentum omnium mira-

mira-

mirabilium Dei, quæ mundo creden-
da, suspiciēda, reuerēda manifestauit,
quæque ipse in mundo amore nostrū
gessit, atque imitanda proposuit, iuxta
Psal. 110. *illud: Memoriam fecit mirabilium suorū
misericors, & miserator Dominus, eseam
dedit timentibus se, idq; ex zelo nostræ
salutis & profectūs spiritualis.*

I. Voluit illud esse memoriale ipsius
Diuinitatis, & totius SS. Trinitatis, o-
mnium item diuinorum attributorū
quæ in sacra Eucharistia per naturalem
cōcomitantiam præsentem esse digno-
scuntur. Vbi enim est humanitas Chri-
sti, ibi etiam est Diuinitas: & vbi vna
est persona diuina, ibi etiam reliquæ
sunt propter naturæ vnitatem, omnes-
que simul, quicquid ibi mirabile fit, o-
perantur; & consequenter ibi etiam
sunt omnes diuinæ perfectiones, Po-
tentia, Sapientia, Bonitas, quæ re idē
sunt cum essentia diuina.

Quali ergo reuerentiâ, submissione,
deuotione hoc SS. Sacramentum foret
adorandum, & sumendum, quales ex-
cessus admirationis & amoris erga il-
lud frequentandi?

II. Voluit id esse memoriale mirabi-
lium operum potentiae, sapientiae &
bonitatis diuinæ, tam eorum, quibus
huma-

humani generis reparatio continetur, uti est opus tam laboriosæ redemptionis, tam liberalis sanctificationis, tam admirabilis glorificationis, cum in eo recolatur memoria passionis, mens impleatur gratiâ, & future gloriæ pignus detur; tum eorû, quæ in hoc mysterio quotidie innouantur, uti sunt, 1. Quod accidentia panis & vini separentur à substantia, & sine illa conseruentur. 2. Quod tota panis & vini substantia conuertatur in corpus & sanguinem Christi vi verborum consecrationis, & per naturalē cõcomitantiam in totum Christum. 3. Quod totus Christus sit tam sub specie vini, quàm panis indivisibiliter, totus in quavis particula. 4. Quod manēs in cælo, in tot diuersis locis præsens sit in hoc Sacramento.

Quantus amor Salvatoris tot mirabilia prodigia amore nostri quotidie innouantis, nosq; tam efficaciter ad amorem sui, gratamq; beneficentiæ suæ memoriam inuitantis! Admiratio, gratitudo, amor.

III. Voluit demùm illud esse memoriale perpetuum sum officiorum, quæ olim, dum operaretur salutem nostram in medio terræ; amore nostri exercere dignatus est; & in hoc Sacra-

men-

mento etiamnum exercere dignatur, nimirum Medici, Magistri, Redemptoris, Patris, Sponsi; tum eximiarum virtutum, quas in vita mortali exercuit, nobisque imitandas inculcauit, & nunc quoque hic porro exercere, nobisque inculcare pergit, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, charitatis, perseverantiæ: humilitatis quidem, dum se ad species panis & vini demittit: obedientiæ, dum ad verbum sacerdotis se præsentem sistit; patientiæ, dum se ab hæreticis, indignè communicantibus, impijs sacerdotibus, tam indignè tractari sinit: charitatis, & misericordiæ, dum fructus passionis suæ tam liberaliter applicare quotidie non desinit; perseverantiæ, dum quâdiu durant species sacramentales, præsens manere non abnuic. Gratitude, amor, feruor has virtutes æmulandi.

IV. *Quod sit memoriale passionis Christi.*

I. **C**Hristus instituit hoc SS. mysterium in memoriam passionis suæ, per modum sacrificij, in quo ipse realiter quotidie immolaretur in cruce, sicque per semetipsum nos sacrificij cruenti olim à se in ara crucis peracti commoneret, idque ex immensæ
dile-

dilectionis erga nos affectu. 1. Ut indicaret quam paratus sit, si opus foret, pro singulis quotidie cruentè rursus immolari. 2. Ut magnitudinem inæstimabilis charitatis, ex qua pro nobis seipsum obtulit eterno Patri in mortè crucis, profundius penetrandam, crebriusque ruminandam ob oculos poneret. 3. Ut, cum impares nos in gratijs pro tanto beneficio agendis cerneret, vices nostras ipsemet suppleret. Gratitude, amor, feruor piè audiendi aut celebrandi sacrum, cum pia passionis Domini memoria.

II. Instituit hoc idem mysterium in memoriam passionis ac mortis suæ per modum conuiuij, in quo ipse realiter in cibum & potum conuiuis proponeretur, ex eodem infinito erga nos amore. 1. Ut sic indicaret, quam libenter pro nobis pati & mori dignatus sit, iuxta illud: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Luc. 22. 2. Ut nos ad amarū tribulationū huius temporis calicem secum auidè ebibendum animaret. 3. Ut magna cum auiditate & spiritali gaudio ad hoc cœleste epulū frequenter anhelandum esse, doceret. Gratitude, amor, feruor piè communionem frequentandi, & multa pro Christo patiendi.

III. In-

III. Instituire demum voluit hoc idē diuinissimum Sacramentum, & sacrificium sub speciebus panis & vini, quorum vtrumque ex plurib. granis conterendo & premendo in vnum coalescentibus conficitur, & vbiq; facile habetur. idque 1. vt ostenderet se optare illud frequentari à fidelibus in charitate vnitis. 2. ab ijs, qui sibi in amore Crucis, tolerantia tribulationū & pressurarum niterentur esse quam simillimi. 3. cum pia recentique sui amore ipsorum in torculari crucis calcati, pressique memoria. Affectus ferē ijdem.

V. *Quod sit efficacissimum medium proficiendi in triplici via perfectionis.*

I. **C**Hristus ipse fons omnis gratiæ & sanctitatis in hoc vno Sacramento, præ cæteris omnibus, per seipsum animæ languenti applicat medicinā, qua minores culparum venialium languores curentur, pericula maiores incurrendi arceantur, tentationum & passionum impetus frangantur, & penarum necdum plenē extolularū reliquiæ expientur: idque per liberalem meritorum suorum applicationem ex gratuita miseratione.

Quanta

Quanta illa amantissimi medici nostri fœditates vulnerum nostrorum non exhorrescentis, sed propria quasi manu contingentis & sanantis dignatio! Gratitude, spes, zelus proficiendi in animæ puritate.

II. Idem per semetipsum dignatur in hoc eodem Sacramento animas dignè communicantium in serio solidarum virtutum studio confortare, mirè promouere, ac sensim suarum perfectissimarum virtutum, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, charitatis, zeli, aliarumque gustum ipsdem tam suaviter & efficaciter instillare, sicut cibus suas corpori qualitates solet impertiri: ita, ut, quoad memoriam, intellectum, voluntatē, sensusque omnes, nihil, nisi absolutissimas Christi virtutes, spirare videantur. Gratitude, spes, feruorque Christi virtutes imitandi.

III. Demum in eodem sublimissimo Sacramento dignatur Christus semetipsum tam miro modo substantialiter animæ & corpori deuotè communicantiū vnire, eosque diuini amoris facibus per semetipsū inflammare, ita, ut in se toti transformētur, extra se nihil velint, in se vno super omnia dilecto suauissimè conquiescāt: idque ex quam ineffabili dilectionis excessu? Quan-

ta

ta proinde alacritate ad hoc diuinissimū amoris incendium animæ in redamando tanto amatore frigida merito foret properandum? Amor, feruor piē communicandi, seque Christo per amorem, & voluntatis resignationem penitus conformandi.

VI. *De excellentia SS. Eucharistia, quatenus est Sacramentum.*

I. **M**agnitudo & excellentia SS. Eucharistia, quatenus est Sacramentum & mysticū conuiuium, quoad latitudinem inde potest æstimari, quod in ea omnibus, quantumuis ingratissimis & indignis se Christus quoad corpus, sanguinem, animam, diuinitatem, & humanitatem, in spirituale cibum omnis saporis offerat; ad omnia mala culpæ & pœnæ amolienda, atque ad omnia bona gratiæ & gloriæ obtinenda: ex immenso amore erga omnes, & zelo singulorum spirituales morbos curandi, profectumque in omni perfectione promouendi. quam immensa tam immensæ gratiæ deberetur gratiarum actio? quam immensa tam immenso amori mutua dilectio? quanta deuotione foret hæc mystica cœna frequentanda.

II. Quo-

II. Quoad sublimitatem & profunditatem, eiusdem excellentia inde æstimanda, quod in ea Christus, Altissimi Filius, altissimus & ipse, & incomprehensibilis maiestatis Deus, infimæ creaturæ rationali, & quidem tam fœdæ, ingrata, indignæ, det, quod optimum est in cælo, & in terra, nempe seipsum; modo optimo, realiter per modum cibi & potus, idque rectè sub specie panis & vini; & ad tam heroicos fidei, submissionis, amoris, aliarumq; virtutum actus ab ea exercendos, atque ad tam eximios gratiæ & gloriæ gradus promerendos: & quidem ex gratuito, summo, infinito amore. Quæ sublimis & incomprehensibilis illa dignatio tantæ Maiestatis sese sic demittentis ad vermiculos tantæ vilitatis? Admiratio, gratitudo, amor.

III. Quoad longitudinem, quod in ea Christus, prædicto modo, ad eosdem præfatos fines tam sublimes gratiæ & gloriæ æternæ duraturæ, cuius fideli se totum in spiritualem alimoniam dare ab æterno decreverit, in tempore cuius sic se offerat, & porro oblaturus sit vsque ad finem mundi. An non æternus hic liberalitatis, pietatis,

E e ratis,

tatis, charitatis excessus, æterno foret gratitudinis, amoris, deuotionis affectu compensandus?

VII.

De excellentia eiusdem, quatenus est Sacrificium.

I. **C**Hristus in hoc diuinissimo mysterio non solum dedit se nobis in spirituale nutrimentum nobilissimum, sed etiam in sacrificium eminentissimum, cuius magnitudo & excellentia quoad latitudinem hinc potest æstimari, quod illud latissime se extendat ad omnes fines, effectusque omnium sacrificiorum legis naturæ & scriptæ. Sicut enim in se continet omnes perfectiones quadruplicis sacrificij: latreutici, Eucharistici, propitiatorij, impetratorij: ita valet ad omnes omnium istorum sacrificiorum fines promerendos, cum in eo omnia & singula infiniti meriti desideria & obsequia Christi infinite grati æterno Patri offerantur. Quam eximium ergo beneficium, & rarum diuinæ bonitatis, liberalitatis, amoris monumentum merito est censendum hoc diuinissimum Sacrificium? quæta proinde re-

de reuerentia, deuotione, gratitudine, alacritate ad illud audiendum, vel offerendum anhelandum? quam accuratè præparatio præmittenda, & gratiarum actio subiungenda? Gratitude, amor, zelus piè celebrandi vel audiendi Missam.

II. Quoad sublimitatem, & profunditatem, quod illud sit infiniti pretij & valoris ad prædictos effectus omnes impetrandos, eò quod & res oblata, & primarius offerens, sit Christus ipse verus Deus & homo, qui cum omnibus quæ pro gloria Patris & amore nostræ salutis fecit, dixit, passus est, seipsum offert diuinæ Maieftati, per quosuis ritè ordinatos Sacerdotes, tanquam secundarios offerentes, & vicarios suos, quantumuis indignos & impios.

Quis dignè æstimet tam sublimis Sacrificij dignitatem? quis non obstupescat, & tantam primarij offerentis maieftatem, & tantam simul eiusdem tam indignorum ministrorum operâ vrentis humilitatem! Affectus ijdem.

III. Quoad longitudinem, quod Filius Dei hoc ipsum sacrificium, ex

eodem gratuito & infinito amore, per eisdem vicarios suos tam indignos ab æterno decreuerit offerre; in tempore à prima eius institutione offerre dignatus sit, hodieque offerre dignetur, atque porro offerre paratus sit, vsque ad consummationem sæculi, & quidem ad excellentes gratiæ & gloriæ gradus æternùm duraturos Electis suis promerendos. Affectus ferè ijdem.

Possent etiam hic usurpari Meditationes prolixiores de modo piè communicandi, celebrandi, & audiendi Sacrum, & Venerabile Sacramentum inuisendi, assignata in Ench. Industriarum suis locis,

Finis Meditationum tertie Partis.